

Ho. 17.




2

# MEDICINA CORPORIS,

SEV  
COGITATIONES ADMODVM  
PROBABILES

DE  
CONSERVANDA SANITATE.



*LIPSIÆ,*  
APVD J. THOMAM FRITSCH.  

---

M DC XCV.

MEDICINA

OPORTIS

... solo titolo manifestum futurum  
... has suas Medicationes non nisi pro

... Et prout forte resu-

CONSERVANDI

... cognoscere ego prout

... potest; ideoque horum in gratiam nullo proce-

... opus esse factum; sed occurrendum, quod sola pass-

... antibus seducti; sed in propriam an-

... tentiam, quod in hoc in processum habet

... loco in medium post hoc in processum, mi-

... tunc vero in hoc in processum, quod in processum

... tunc hoc in processum in processum, sed in processum

... hic in processum in processum, sed in processum

... rationes, ut in processum in processum, sed in processum

... qui in processum in processum, sed in processum

... ad propriam in processum in processum, sed in processum

... hoc, cum in processum in processum, sed in processum

... in processum in processum, sed in processum

... in processum in processum, sed in processum

... in processum in processum, sed in processum

... in processum in processum, sed in processum

... in processum in processum, sed in processum

... in processum in processum, sed in processum



AMICVS AVTORIS  
AD  
LECTOREM.



*P*etièrunt hic loci amici, ut Autor hunc suum Tractatum quâdam muniret præfatione; id verò ab ipso impetrari non potuit, eò quod arbitraretur unicuique satis vel ex solo titulo manifestum futurum, has suas Meditationes non nisi pro valdè probabilibus venditari, & proinde fortè refutari posse. Quod si ab aliis sincero animo, veritatis cognoscendæ ergò, præstetur, nullatenus ipsi displicere poterit; ideòque horum in gratiam nullo proœmio opus esse fatetur: si illis occurrendum, qui solis passionibus seducti, bellum ei indixerint, ut propriam auctoritatem, quam hoc in Tractatu periculum subire autumant, tueantur. Multa hic quidem præfationis loco in medium possent proferri, sibi solis duntaxat, minimè verò Lectoribus profutura; quorum tamen utilitati hoc suo scripto imprimis litaret: se igitur nolle eos hic frustra moram injicere. Existimat insuper nullas rationes, ut ut validissimæ fuerint, sufficere, ad illos, qui passionibus suis miserè inserviunt, atque eà de causâ propriæ salutis, id est sibi ipsis contrarii sunt, cohibendos, quin aliis quoque adversentur: se hic utilissimam, multo labore, & multiplici experienciâ observata aliis candidè communicare; se porrò contra illos, qui ea in-

AMICVS AVTORIS AD LECTOREM.

grato acceperint animo, nihil valere, & summoperè optare, ut Lectorum utrique, antequam hunc evolvant Tractatum, vel de eo suum ferant judicium, præcedentem perlegere dignentur, cujus hæc pars mera tantum est consequentia, (id quod in quarto impedimento haud obscurè innuit) & specimen quoddam, quo ostenderet, quàm ardua per hanc suam methodum, antecedenti Tractatu traditam, statim liceat aggredi; atque ideò Lectorum judicia æquiora sine dubio tunc fore. Nequivit autem à se ipso impetrare, ut propterea præfationem conscriberet, in quâ alios rogaret, ut hunc laborem in illius gratiam susciperent. Hæc sunt, Lector Benevole, quæ ex ipso audita, tibi impræsentiarum præfationis loco indicanda duximus.

Mirabitur quoque dubio procul Amicus Lector, qui fiat, ut stylus MEDICINÆ CORPORIS toto ferè cœlo differat à stylo MEDICINÆ MENTIS, & diversum esse Autorem existimabit: verum qui mente volverit continuas, & graves Autoris occupationes, aliaque infinita impedimenta, quæ doctis haud rarò remoram injiciunt, admirationem suam sistet, & credet hæc non fuisse illius juris, facillique negotio hoc non nobilissimo Autori, sed aliis imputabit, qui id operam dedere, ut hic Tractatus, ab ipso suo idiomate conscriptus, in lucem prodierit publicam.

Hæc monere visum fuit. Vale.

MEDI-

# MEDICINA CORPORIS,

SEV

*COGITATIONES ADMODVM PROBABILES  
DE CONSERVANDA VALETVDINE.*



Ulm juxtà sapientiorum sententiam, ejus, qui veritatibus incognitis detegendis operam dederit, prima & præcipua cura esse debeat, ut benè vivat, certasque sibi regulas, secundum quas vitæ suæ ratio disponenda sit, conveniente præviâ meditatione, comminiscatur; non ideò posthabenda ipsi esse videbitur cura, quâ maturè & à principio de certis sollicitus sit regulis obtinendis ad valetudinem conservandam facientibus, cum ea primum fuerit omnium nostrarum actionum basis. Ad priorem igitur quod attinet curam, quia in præcedenti Tractatu eam expeditam dare allaboravimus; crediderim hoc mihi jam negotii superesse, ut ratione posterioris curæ, ingenuo veritatum inquisitori Medicinâ aliquâ provisionali, ut sic dicam, id est quâ interim, donec melior suppetat, tantisper utatur, pro tempore subvenirem. Quâ quidem in Medicinâ propositurus sum, si non meras apodicticis demonstrationibus evictas certitudines, at tales saltem, quæ perquam probabiles mihi videntur, quasque experientiâ satis confirmatas huc usque notavi: paratus interim causæ cedere, opinionemque meam absque morâ mutare, quam primum, vel per me ipsum, vel per alios, major successu temporis lux in re tam obscurâ affulserit.

Primò autem id ostendam, quod experientia me hactenus didicisse existimo, conservationem valetudinis, tam-

etsi strictæ alicui diætæ non adeò scrupulosè & ad amissim. adhæserimus, nihilominus non tantæ molis opus esse futurum.

Secundo; quænam sint signa præcipua de malo nobis sat vicino nos commonentia, quibusque mediis istud malum præcaveri possit?

Tertio; amissa valetudo quomodo recuperanda, sive quænam, si morbo nos premi contigerit, securissima sint remedia, quorum ope experientia nos doceat commodissimè liberari posse?

### PRIMA PARS.

**P**rimùm quod concernit, fateor ad valetudinem conservandam bonâ & ritè ordinatâ Diætâ nihil inveniri præstantius, per quam à vario cibi potûsque genere abstinemus, aut si iis utimur, destinato hoc fit tempore, variisque præterea corpus exercitiis, dummodo ne nimis fuerint vehementia, sæpè movemus. Hâc unâ enim benè observata diætâ, multi communem humanæ vitæ terminum ab omni morborum molestiâ liberum longissimè transgressi sunt: cujus rei nobis speciale exemplum per notabilem experientiam in se ipso exhibuit Cornarus nobilis Venetus in tractatu suo de Sobrietate. Possent huic aliæ adhuc similes addi regulæ: nimirum valetudini non parum conducere, si, priusquam cibus utamur, calido quopiam jusculo stomachus fuerit præparatus; quippe comperimur eo ipso cibi appetentiam augeri, ex adverso eam, si vel optima fuerit, ubi cibum potus frigidi alicujus haustus præcesserit, ferè omninò extinguere. Præcipuè vero senio confectis haud modicum conferre victu nutriri ut plurimum satis calido. Porro animadvertimus, ad concoctionem facilius absolvendam prodesse, si cibus non diglutiatur, nisi probè mansus dentibusque comminutus, aut, ubi ob senectutem defecerint, in minutissima discindatur frustula. Et sic multa alia ad eundem scopum ducen-



ducentia in medium afferri possent: ut omnia corporis membra à frigore externo arcere: locum, in quo maximam juventutis partem confecimus, ob res, quibus natura nostra assuevit, innumerabiles, non multum mutare, &c. Verùm enim verò fateri omninò cogor, ad isthæc omnia iisque consimilia ritè observanda neminem sufficere, præter solitariam vitam viventes, aut eos, qui, ut dicitur, sui juris sunt, seu nullius obedientiæ subjacent, quod utrumque, totoque vitæ tempore, obtinere posse difficultatis certè non mediocris res esse videtur. Nec multos proinde ejusmodi proficere regulis posse in confesso est. Imò observavi contra, iis, quibus nulla cibi potûsve seligendi potentia concessa est, nihil magis noxium esse, quam ordinatam ejusmodi victûs rationem. Si enim à consuetâ suâ vivendi normâ vel tantillum recedere cogantur, in gravissimos plerumque morbos incidunt, quin, quod multos, qui diætæ cui assueverant limites nimium excesserunt, ipsam mortem subiisse sæpenumero compertum est. Et sic communiori exemplorum observatione notavi illos, qui quovis indiscriminatim cibo, prout buccæ obvenerit, uti dubitant, quemque capiunt pastum, nonnisi parcissimè capiunt, & insuper certò se in hoc alligant tempori, cum huic ordini tam strictè semper inharere non possint, eos, inquam, deterioris ut plurimum conditionis esse, quam ii, quibus ista omnia neutiquam curæ sunt. Hinc est, quod multi, qui hæc non considerant, non rarò mirantur, eos, qui quàm possunt exactissimè in victu discernendo sibi cavent, inque omnibus suis actionibus accuratissimo procedunt ordine, morbis sæpè magis vexari, quam quos in his omnibus graviter excedere vident. Unde in hanc imprudentes delabuntur opinionem, ut satius esse credant, nullum in his certum sequi ordinem, nisi eum quem consuetudo introduxerit, in quo non minus falluntur, prout tot morbi, quibus sæpenumerò affliguntur, contrarium ipsis facile persuadent. Inter utrumque igitur errorem, tam  
exces-

excessum quam defectum ( quorum alter bonæ diætæ observatio est, sed non continuata: alter mera consuetudinis sequela, id est, omnium penè regularum neglectio ) mediocritatem proponere per sequentes Regulas arbitratus sum. Quarum

## PRIMA REGULA:

*Naturam nostram, quam diu in tali fuerimus statu, quo vires nostræ satis sunt valide, assuefaciendam esse, ut omnia, quæ in hac vitâ nobis communiter obtingere possunt, contraria perferre discat, eaque non tantum mediocria, sed etiam aliquantum, non tamen nimium, excessiva: Ut Sitim, à Cibis abstinentiam: contrà etiam aliqualem cibi potûsque, cum superfluitatem, cum varietatem, cum vilitatem: frigoris astûsque injuriam: laboriosarum expeditionum molestiam, & id genus alia.*

## PROBATIO.

**M**Ovet me ad id sequens ratio: quia notavi ejusmodi exercitatione naturam nostram multò reddi validiorem, & ad omnia ferè toleranda aptiorem, adeo ut à levioribus incommodis non facilè vincatur. Sic videmus eos, qui castra sequuntur, quantumvis infinitas molestias, multaque valetudini quam maximè adversa frequenter experiri cogantur, nihilo secius validâ frui corporis sanitate, ac robustâ durabilique naturâ, ad morbos, si in aliquos inciderint, superandos. Sic plerumque etiam videmus eos, qui provectiores ætate sunt, ubi multa in juventute, quæ valetudini eorum adversa sufferre coacti fuerunt, non pauca præstare posse, quæ alii sine satis magno sanitatis detrimento non sustinerent. Multa etiam sunt, quorum expeditio à foeminis suscipi, non ex earum naturæ defectu, sed ob nimis mollem earum educationem, non potest, quin iisdem multum sibi contrahant mali, quæ tamen masculis & faciliora expeditu, & nulli prorsus damno futura sunt: eò quod ad talia eorum naturam, magis quam foeminæ, assuefacere non dubitarunt.

Nec

Nec minus etiam ii, qui corpus assiduo usu ad varia quæque adaptarunt, aut vehementi exercuerunt labore, ejus statu tam prospero fruuntur, ut omnibus communiter oboriri solitis ægrotationibus multò possint resistere facilius. Ceterum quanti detrimenti opus sit, naturam ad certas quasdam res, certumque vivendi modum contrà hujus regulæ praxin assuefacere, maximè in statu, quo alterius nutui subjecti absolutâ vivendi libertate destituimur, non est, quod ulterius verba faciendo urgeam, cum id antè monuerim, cum mentio eorum fieret, qui definitam aliquam diætam, rigorosè quidem, non autem semper, observant; saltem addam, quanquam aliàs sufficienter notum, quod qui contrà frigora corpus nimium tueri solent, illico malè habere incipiant, quoties consuetudinem mutaverint: ubi contrà alii ingenti sæpè frigore sæviente malè vestiti, & tantum non planè nudi incedunt, absque ullo sanitatis incommodo. Quid communius, quam capite tecto noctu dormire solitos extemplò affligi, si vel unicâ nocte id non continuaverint? Cum contrà, qui caput nullo unquam velamine, mediâ licet hyeme, nec frigus sentiant ullum, nec ullos capitis dolores aut catarros, &c. ut illi qui contra consuetudinem caput vel semel revelatum aëri exponunt. Quatenus autem hanc regulam sequi oporteat, ut ne excessus isti in nimium excrecant, quilibet proprio sensu in se ipso optimè scire poterit: videlicet, ut dixi, in quantum suarum quisque virium vel augmentum vel decrementum apud seipsum animadverterit; unde hoc magnopere, præcipuè juventutis annis attendendum, quâ utique ætate crescentibus viribus consultum maximè duxerim operam dare, ut natura citò variis rebus assuefiat; minimè verò, cum ob decrepitæ ætatis ingruentiam vires jam declinationem urgere occipiunt. Quanquam & senes in hoc non parum peccant, quod molliter plerumque vivendo propriam naturam minus, quam par est, exercent. Tam diuturnâ enim & multâ, quâ gaudere solent,

b

ses-



sessione pedes ad motum inepti redduntur, dorsum curvatur, cibi appetitus deficit, &c. Exadverso memini me vidisse octoginta annorum senes, qui, cum assidue cursitando aut equitando in perpetuo essent motu, tam pedibus valuerunt, quam multi juvenum, quique & cibos appetenter, & somnum quietè ceperunt. Quod si verò præter intentionem hæc regula in largissimo accepta sensu aliquantum impingat, facili negotio per sequentem ipsi poterit subveniri regulam, quæ isthanc ad sensum paulò strictiorem reducit, in quam incidi, dum explorarem, quatenus huic regulæ obtemperandum sit, tam circa victum, quam circa alias res, quæ valetudini particulariter vel prodesse vel obesse videntur. Hinc enim profluxit

## REGVLA SECVND A.

*Cibos, antequam assumantur, non esse prælibandos, ad rescindendum an nobis conducant nec ne: nec opus esse ut reminiscamur, an palato antehac fuerint grati, nec ne, quod plerique tum temporis facere solent; sed eorum saporem absque ullo, sive prægustu, sive respectu ad præterita habito, bene sibi imprimendum esse, non aliter ac si, ad eos jam jam comedendos, accingeremur. Tum enim si internum aliquem apud nos appetitum persenserimus, eos corpori maxime salutare: contra si nauseam, maxime noxios futuros: imò quo major appetitus sive nausea fuerit, eò magis sive profuturos sive obfuturos.*

## PROBATIO.

**Q**ui hanc regulam proprio usu nondum approbârunt, ejus veritatem citius absente cibo aut potu animadvertent, dum eos sibi quasi præsentem & jam jam sumendos fingent. Reverà enim præsentem nimis plerumque movent gustum, quò minus aversionem illam internam nocituramque ciborum qualitatem facile percipere queant. Neque etiam negligendum puto, quod monui, ne imaginemur eorum gratum, quem antea nobis reddiderunt, saporem.

porem. Hoc ipso enim appetitio renovatur, & impedimento est, ne, si qua interior cibi detestatio in nobis sentiatur. Hinc regulæ hujus veritatem paucissimi comprehendunt. Nihil tamen hic magis obstare dixeris, quam ipsam ciborum delibationem, cum magna pars eorum amœnum nobis saporem excitet, nihilominus non sine subsecuturo nocumento: sic etiam in contrario sensu res sese habet. Ab his igitur omnibus si caveatur, & contrà observetur quod dictum est, non facile crediderim à quopiam negatum iri, quod in hâc regulâ continetur, præsertim si insuper attendatur ad sequentia cuius obvia. Cum sufficienter cibus saturati, ab aliis instantius sollicitamur ad ulterius edendum & bibendum, nauseam statim capimus: quod si tunc eorum dictis morem geramus, non ita multò post experimur in nobis ipsis, quod satius utique fuisset, hisce supersedere potuisse. Neque aliâ ex causâ, ubi à convivio malè habemus, si inter alios cibos, quos ibi sumpsisse imaginamur, is in memoriam redierit, qui hoc malum nobis contulit, singulare in nobis fastidium orietur. Hinc illi, qui bene compoti postero die crapulâ laborant, à potu, qui illos inebriaverat, adeò abhorrent, ut eum vix limis intueri oculis sustineant: unde, qui subitaneo aliquo morbo corripuntur, causam ipsimet verissimam non rarò conjecturare sciunt, utut de industriâ reticeant, ne stultitia ab ipsis commissa erumpat. Porro & ii, qui nimis vel matutino, vel serotino cibo potuve contrà eorum consuetudinem & inviti utuntur, non solum insignem à pastu averfationem, sed etiam damnum, quod eo ipso sibi adsciscunt, concipient, præsertim si senio confecti fuerint. Ulterius nonnullibi locorum mos est, in conviviiis propinari tam cerevisiam quam vinum, quo casu non omnes indiscriminatim dapes eandem vini aut cerevisiæ appetentiam ciere observabimus, & prout interno nostro appetitui aut satisfacimus, aut averfamur, ita salutis propriæ aut consulimus aut nocemus. Tandem multos ægrotantium, cum

primum melius habere incipiunt, acida appetere, eorumque moderatum usum ipsis conferre videmus. Possem jam pergere ad magis particularia: ex. gr. post lactis usum neque cerevisiam sapere neque vinum: vervecinas aliasque carnes pinguiore, præcipuè si facile coagulentur, cerevisiæ potum reddere ingratum, vini que contra gratum &c. Sed quia isthæc apud me solum aliosque saltem paucos locum forsitan habere possunt, tacendum potius existimo; non possum tamen, quin aperte fatear, me quoque, quoties ægrotaverim, in hujus regulæ certitudine propriâ experientiâ maximè confirmatum esse. Vidi etiam alios certa genera ciborum, quos natura eorum tantò avidius appetebat, quanto medici severius eos ut inevitabilem ægrotanti mortem allaturos prohibuerant assumpsisse, eoque ipso convaluisse. Quamquam & dubitare subit, an ægrotis hæc regula semper salutaris esse possit; id tamen pro certo tibi assero, me, quando rectè valens hanc secutus sum regulam (si non semper ratione appetitûs; attamen ratione aversationis) non recordari unquam ab eâ fuisse falsum: saltem nulla singularia symptomata successerunt: quinimò, simul ac contra ejusmodi nauseam internam aliquid comedere conatus sum (quod datâ operâ interdum experiundi gratiâ feci) illico dolores, pressiones stomachi, singultus aliæque incommoditates subsequutæ sunt, quæ indicio nobis semper esse judico, cibos nos cepisse concoctionem impediētes. Quia verò unusquisque dum valet, rarò ad ea, quæ in se ipso intrinsicè accidunt, eoque modo, quem ad hujus regulæ usum præcipuè requiro, attendit, ideò credo paucissimos, quanta ejus utilitas sit, experientiâ esse percepturos. Faciliorem ergò in medium afferam, per quam non opus erit, tam certis alligari rebus, & ea quæ in nobis fiunt in consilium adsciscere; sed potius ad solum saporem animum reflectere: cujus regulæ utilitas valdè probabilis evadet, hæcque præsens per eam innumeris confirmabitur exemplis. Cum enim

enim isthanc regulam exactissimè observarem, examinaturus quinam ciborum palato appetitum quique nauseam excitarent, deinde si plures cibi adfuerint, quemnam appetitûs ordinem in singulis servare soleat, obtulit se mihi

## TERTIA REGVLA.

*In edendo & bibendo satis inordinatè nos procedere posse absque ullo repentini alicujus damni subsequenti indicio, dummodo ad ea, quæ gustui valdè inter se discrepantia videntur, (ut sunt humida & sicca, pingua & macra &c.) attendamus, ut ea inter edendum alternatim ita invicem commutemus, ut justa quasi ex iis temperatura exsurgat: si quæ verò ratione saporis sibi contraria esse aliquomodo videantur, (ut dulcia & acida, persalsa & insulsa, fervida & frigida) ut primum subsentimus, alterutrorum nimium nos comedisse, iis talia, quæ prioribus vel ex parte vel omninò contraria sint, superaddamus, ut excessûs hâc ratione inter se aliquo modo corrigantur.*

## PROBATIO.

**H**Æc regula cum experienciâ adeò concordat, ut, si probè ad talia attentionem direximus, experturi simus, quod eam quivis velut ab ipsâ naturâ incitatus observet. Hoc nos ipsa docet natura in cibo & potu, quibus alternatim utimur. Hinc videmus, ipsas bestias, si nimis sicca comederint, solo naturæ instinctu ad aquas, licet interdum valdè distitas, celerrimè festinare. Quantum naturæ nostræ profint ea ciborum genera, quibus & manducando & sorbendo frui possumus, attestabuntur ii, qui sæpe id experti sunt. Imò si esculentorum quædam, quæ nimis sunt humida primum, post denuo alia sicciora comederimus, multum nobis saluti esse animadvertimus. Ita quoties poma aliosque fructûs valdè humidos in abundantia comedi, nullum ab iis incommodum passus sum, dummodò alius generis vel fructûs cibos siccioris qualitatis, aut si non aliud, saltem panis frustulum simul comederim. Hoc autem quia plerumque non

b 3

obser-

observatur, sæpè alvi profluvium aliaque morborum genera sequuntur. Sic potus, quem nimium quandoque in epulis haurire coactus sum, dummodò simul edere parum panis licuit, non mihi unquam nocuit. Porro si rebus nimis dulcibus vescamur, acidis vel ad minimum minus dulcibus subveniendum. Sic cum aliquando largius vinum exhauriendum fuit, nihil obfuit, modò cibus acidioribus, citreorum succo aliisve, stomacho succurrerim. Nimis falsa magnam excitare sitim plus quam notum est; ubi verò hæc comesta exceperint vel minus falsa, vel quod melius planè insulsa, subito excessum fuisse correctum persensi. Hoc autem neglectum, quantum detrimenti afferat, testabuntur maritimi, qui pisces sale conditos, aliaque falsamenta ut plurimum edere coguntur: hinc facillè crediderim ipsis provenire scorbutum, aliosque illis in locis frequentiores morbos. Nec desunt exempla eorum, qui frigidis nimium cibus, iisque copiosis & sæpè usi, cum tamen stomacho non satis calido, ut dicitur, præditi fuerint, multas sibi morborum incommoditates attraxerunt. Quin & cibos fervidiores, aliis refrigerantibus vel tepidis temperari proficuum nobis esse sentimus; præcipuè, cum à vino nimis largiter potu internum percipimus calorem, refrigeriis juvamus, quod ni fiat, insuperque calefacientia potius addamus, febres non rarò ardentes gravissimique exoriuntur morbi, quod maximè experiuntur æstuosis in regionibus peregrinantes, qui, nimio calefacientium vinorum usu, in cephalalgiam, febres ardentes aliasque infirmitates incidunt, quod aliis, qui usitatas ibidem aquas artificialiter congelatas usurpant, non evenit. Cæterum quam subitarium moxque percipiendum ejusmodi excessibus talis correctio auxilium præbeat, vel ex hoc solo sæpius deprehendi, quod multi, qui à singultibus nullo modo potuerunt liberari, ne potu quidem, communi aliàs in hoc casu remedio, simul ac citreorum succum adhibuerint, momento liberati sint, quæ omnia usque modò commemorata

rata



rata veritatem hujus regulæ sufficienter manifestare videntur. Quod autem hanc regulam reddit facillimam, est, quod in tantâ ciborum varietate multi ex utroque inter se pugnantium genere reperiantur ejusdem naturæ & effectûs, nec differt quibus utamur ad corrigendos excessûs à nobis commissos, dummodo id fiat per eos, ut dictum, qui prioribus sint contrarii; sic sæpè non sine aliorum admiratione mox carnes, mox fructus, mox pisces, mox alia, & varia ciborum genera, maximè extravaganti ordine, assumpsi: imò vel diversas carnes tantum, vel diversos alios fructus tantum, ordine inusitatissimo comedi absque ullius nocu-menti perceptione; ita tamen, ut regulæ hujus rationem haberem, atque ita satis quidem ordinatè secundum eam processi, licet aliis inordinatè factum potius videretur, eò quod ordini vulgariter consueto maximè contrarium esset. Quocirca hæc regula facili omninò negotio observari potest, ut ut victu interdum perquam inordinato frui cogamur, præsertim in conviviiis, in quibus tam variæ totque modis diversis præparatæ dapes proponuntur; ideòque tum præcipuè, cum maximi contra valetudinem excessûs perpetrantur, utilis nobis erit, ad omne quod inde nasci possit malum evitandum. Tametsi etiam aliquâ in parte limites fortè egrederetur, non adeò difficile esset per regulam antecedentem, ex quâ tanquam generaliori præsens hæc sequitur, eam corrigere. Quin imò firmissimè mihi persuadeo eum, qui utramque regulam experienciâ didicerit, ex magnâ ciborum copiâ haud difficilè cogniturum, non tantum quid edendum sibi aut bibendum sit, (id quod præcipuè antecedens docet regula) sed etiam quò successivè ordine id fieri debeat, (quod propriè ex præsentem apparet) ut ne valetudo, veluti communiter fit, periclitetur, idque ex seipso multò melius, quam ex alio quocunque, si vel peritissimus quisque medicus fuerit, percepturum esse. Hinc verò satius esse intelliget, naturam ad multifaria sufferenda assve-

assuefacere ; maximè ubi à nobis ipsis absolutè non dependemus, ut prima requirit regula, quam quatenus obsequendum ei sit in iis, quæ imaginationem & gustum diversimodè afficiunt, jam tum explicui. Ostendam nunc, quatenus ei obtemperandum sit, etiam in iis rebus, quæ universum corpus nostrum variis afficiunt modis. Notanda igitur

## REGVLA QVARTA.

*Quanquam ii, qui corpus ad contraria quævis sufferenda assuefecerunt, valetudinem multò conservant securius ; summo perè interim cavendum ne directò contraria immediatè se invicem subsequantur : quin imò, si vel maximè fuerimus ad ea coacti, eò tamen præcipuè, quoad ejus fieri potest, al laborandum esse, ut gradatim quasi, & pedetentim iis assuescamus.*

## PROBATIO.

**H**Inc cum fervefacti subitaneum frigus quærimus, grave valetudini damnum inferimus. Reipsà hoc experiuntur ii, qui vel è balneo, vel è lecto calente egressi, vel dum aliàs vehementi calore sudant, frigido aëri derrepente se committunt, aut potum frigidiorum avidè hauriunt : ubi non sine admiratione observaveris, quam subitanè vehementique alteratione vires debilitentur ; adeò ut multi jam morti videantur proximi, qui ante aliquot tantum momenta perfecte valuerunt ; ubi contrà, licet ob nimiam sudoris in lecto vehementiam omnia intestina admodum incaluerint, si tamen refrigerium pedetentim tantum quærat, nullum timendum sit periculum. Inde error natus est, ut sudor communiter credatur vires labefacere, cum tamen id potius adscribendum sit nimis subitanæ refrigerationi, quæ ex intolerantiâ celerius quam par est præsumitur. Sæpius ausus sum à vario corporis exercitio adhuc æstuans aquis artificie congelatis, de quibus suprà, me reficere, absque ullo, quod ob id senserim, incommodo, eò quod ob nimiam, quâ palatum afficit, frigiditatem non nisi paucillum

fin-

singulis vicibus assumi potest, fervorque interior tam exiguam liquoris gelati quantitatem illicò resolvit, ut quia hâc ratione guttatim tantum ad stomachum pervenit, non sit sufficiens ad tantas alterationes inferendas. Contrâ, alios vidi in eo statu cerevisiam avidius & copiosius inglutientes in gravissimos morbos collapsos esse, à quibus vix liberari potuerunt. Sic etiam validum frigus perpeffis malè conducit ad vehementem calorem festinatio, id quod aliqui magno suo damno comprobarunt, qui postquam manûs pedesve gelu rigentes absque morâ fervidæ immerferunt aquæ, ad id extremitatis redacti sunt, ut extremorum membrorum refectione opus fuerit, ne contigua membra malo, quo jam correpta erant, quoque inficerentur. Quod ii, qui ad certum se alligârunt vivendi modum, si consuetudinem mutaverint, maximas cogantur subire alterationes: & rursus qui quieti nimium indulserunt, ut primum vehementia corporis exercitia aggrediuntur, in gravissimos incidant morbos, sufficienti nobis indicio est, quàm periculosum sit ab unâ extremitate subitò prolabi ad alteram. Ex his etiam addiscimus causam, cur, succedentibus subitaneis in aëre caloris aut frigoris mutationibus, sæpè varii & repentini se ostendant morborum casûs, etiam in corporibus satis commodè valentibus, prout, exempli gratiâ, ex eadem ut plurimum causâ plus vernis & autumnalibus quàm ullis aliis temporibus corpora humana, nisi providè caveatur, ægrotare videmus. Per eandem hanc regulam monemur, ut probè caveamus, ne cibos, quos olim nobis gratissimos fuisse recordamur, ubi post diuturnam eorum carentiam ad eos redire concessum fuerit, nimiâ appetentiâ & aviditate capiamus. Sic singularem semper in me certorum ciborum appetitum, ab exteris regionibus redux, persensi, à quibus nisi tantisper abstinuissem, donec pedetentim iis reassuescerem, procul dubio morbo fuisset correptus. Et isthanc genuinam arbitror esse causam, cur multi, à peregrinationibus in

c

patri-

patriam reversi, brevi vel graves morbos, vel planè mortem subierint; non verò, quod eorum causam semper in exteris partibus sibi adsciverint. Tandem valetudo valdè alteratur, quoties ex aëre, cui diu assuevimus, migramus in alium, forti nobisque contrario odore repletum, velut evenire solet iis, qui aedificia renovata aut noviter trullissata justò maturius inhabitant. Hujus generis multifariæ subitarum mutationum operationes referri possent, sed hæc suffecerint, satiusque fuerit, ut propria quisque saluti invigilet, suoque sapere periculo discat.

Hæ igitur præcipuæ sunt regulæ, quas experientiâ addidici ad valetudinis conservationem multum facere; at probè hîc notetur velim, siquidem vires nostræ valetudinis optimæ nos commonefaciant, non opus esse, ut ad eos nos adeò rigorosè alligemus, dummodò ne contrà eas nimium multumque peccetur. Id verò, quod secundâ parte jam significare constitui, multò observandum erit accuratius, si gravissimos præcavere morbos voluerimus.

# MEDICINA CORPORIS,

SEV

*COGITATIONES ADMODUM PROBABILES  
DE CONSERVANDA VALETUDINE.*

SECUNDA PARS.

**D**Um autem hoc effectum dare præsumo, lectorum aliquis fortè mirabitur, cur signa morborum, proximè instantium diagnostica declarando hîc sumpserim, cum ea alioqui satis cuique nota esse videantur, quandoque aliud plerumque non habeatur signum, quam insignium dolorum sensus, aut debilitas virium tam  
magna,

magna, ut vel domi se continendum, vel planè decumbendum sit. Verumtamen istiusmodi sunt signa morborum non proximè futurorum, sed jam actu præsentium, indicantia tantam morbum vim acquisivisse, ut valetudo ipsi resistere nequeat, non verò esse eum adhuc in ortu seu origine, ubi multò facilius fuerit iis arcere juxtà commune proverbium: *Principiis obsta*, &c. Et de his ultimis signis annotationes jam meas in medium proferam, quæ neque aliis quoque inutilia fore esse confido. Ut autem vera signa diagnostica, ut plurimum occurrentia, omniumque quasi prima, è quibus reliqua postmodum oriuntur, bene determinemus, notandum, tres præcipuè casûs ordinariè cuius homini indies evenire, quorum status ratione valetudinis nostræ bene ponderandus est. Ex quibus, an, & quomodo mutantur, siquidem de malo aliquo ingruente suspicio fuerit, facile conjicietur. Sunt autem hi tres casûs, qui sequuntur. 1. Cum nullas ferè actiones exercemus. 2. Cum victum sumimus. 3. Cum ordinaria tractamus negotia. Juxtà primum ubi valebimus, magnam omnium membrorum agilitatem & levitatem experimur: juxtà secundum, bonum ciborum appetitum, si tempus prandendi advenerit: juxtà tertium; absque ullâ difficultate aut molestiâ omnia consueta nos expedituros. Ex quibus clarum fit communissima, certissima, omniumque prima signa incipientis morbi diagnostica esse, cum per sentimus inconsuetam aliquam omnium membrorum gravitatem, nullum adesse ciborum appetitum, aut tandem, in ordinariis negotiis peragendis virium defatigationem; præcipuè si hæc continuaverint. Quâ autem ratione in hisce nos gerere oporteat, tribus sequentibus regulis proponam.

## REGVLA QUINTA.

*In nobis ipsis attendendum esse, an agilitas seu levitas omnium corporis membrorum diminuatur, id est, an membra nostra solito minus levia sint, potiusque valdè ponderosa esse videantur,*

*antur, non obstante quod vel jejuni, vel modico tantum pastu saturati simus. Quo observato, quia in corpore nostro tunc plus nutrimenti, quam opus fuerit, esse videtur, superfluum illud sudore expellendum esse.*

PROBATIO.

**Q**uia tam sæpe multumque quotidie comedimus, ut ad omnem nutrimenti superfluitatem expellendam calor externus vix sufficiat, facilè hæc superfluitas ad eò potest augeri, ut internis corporis nostri operationibus impedimento potius quam adjumento sit, ac proinde omnia nostra membra admodum nobis ponderosa esse videantur; idcirco commodius excogitari medium, quod omnia simul membra tam naturaliter & homometricè afficiat, primo intuitu non posse dixeris, quàm ut calori interno succurramus, & sudore talia propellere tentemus. Haud equidem me latet, omnes hæc in re tergiversari; quâ de causâ infra ostendam modum, quo facillimè procedi, resque sine singulari fastidio ad effectum perducì possit; attamen hoc ipso ad plurimos gravissimosque morbos præcavendos nihil utilius esse existimo. Particulares hîc, quas in me ipso observavi, experientias recensere possem, sed malim hoc periculum ab aliis quoque fiat, ut eò facilius dictis meis fidem habeant, quod nescio an aliàs à lectoribus meis sperare liceat; tunc enim omnino reipsâ experirentur, quod, si aliquis lecto benè tectus sit, tantisper immobilis ibi moretur, quoad undique sudorem profluere sentiat, idque eodem situ per horam continuet, tantam humorum copiam expulsurus sit, ut dicenti, quantum hujus humiditatis ex solâ interulâ, quâ indutus fuerit, exprimi possit, vix crederetur. Memini me aliquando istum procedendi modum, quantumvis integrâ fruerer valetudine, per universum octiduum continuantem animadvertisse, non, ut vulgò creditur, vires debilitatas fuisse; sed potius contrarium, singularem videlicet omnium membrorum agilitatem, adeò ut mihi ipsi quasi regeneratus vide-

viderer, nec corpus totum credidissim præ levitate aliquot saltem librarum pondus habuisse. Ad hæc cibi appetitus mirum in modum auctus, totaque natura tantas vires videbatur adeptæ, ut non jam ullum, velut antehac adversæ valetudinis incommodum, quoscunque excessûs commisissim, experirer. Firmiterque mihi persuadeo, qui id semel saltem, vel bis anno quovis fecerit, melius se habiturum, quàm sacrficationibus, venæsectionibus, purgationibus, laxationibus &c. aliisque ejusmodi evacuationibus, quæ minus naturalia videntur remedia, quam sudatio. Sed perfectam cuique relinquo cogitationum suarum libertatem, eique, quod optimum esse sana me ratio cum experientiâ docuerit, firmiter inhæreo; sicque institutum meum prosequor.

## REGVLA SEXTA.

*Si mensæ apparatus accumbendo ciborum præsentia ad manducandum nos licet in pastos aut planè non, aut tam parum invitaverit, ut omni planè cibo absque ullâ violentiâ carere possimus, cibos tunc solitò minus copiosè assumendos; inter ordinarios pastus à cibo planè abstinendum; de reliquo corpus externo motu frequentius, quam aliàs consuevimus, exercendum esse. Ubi verò non tantum appetitûs carentiam, sed insuper etiam aversionem seu nauseam ciborum senserimus, à victu per unum diem planè cessandum, postmodum modico pastu incipiendum, pro ratione appetitûs nos incitantis, sudore etiam interno calori aliquantisper subveniendum esse.*

## PROBATIO.

**Q**uia rarissimè hoc observamus, potiusque eandem, quam aliàs solemus, ciborum copiam, sive edendi cupiditate feramur, sive non, assumimus, mirum non est, tot & tantos ideo morbos in corporibus etiam sanis repentè excitari. Lubens quidem concesserim febrium aliam quoque causam assignari posse, admodum tamen pro-

babile mihi videtur, plurimas ex hac solâ potissimum causâ, ut modò dixi, provenire, quod, nimirum humores, in corpore nostro ad ejus nutrimentum promovendum reperti, adeò abundant, ut eos sufferre nostri corporis constitutio non sufficiat. Optimæ enim valetudinis & ætatis personas iis videmus corripî; adeò ut nulla ferè alia excogitari causa posse videatur, quam nimia succi hujus nutritivi superfluitas. Sic aliquos vidi salvos & sospites, postquam certa ciborum genera, quibus aliquamdiu caruerant, ut ostreas, pisces &c. nimis avidè & copiosè unico pastu ceperunt, mox sequenti post die in febrim incidisse. Nec alius certè tunc effectus in corpore sano eò sequi posse videtur, quàm ut nimia ciborum copiâ assumptâ, nimia quoque humoris nutritivi copia necessariò accrescat, ac proinde febris, secundum meam quidem sententiam, generetur. Hinc facilè videmus, cur jejuniis curari febres, ut plurimum, possint, & cur febrî laborantes sæpè diutius ferè, quam credi possit, ab omni planè victu abstinere queant? quia nimirum nutrimenti superfluitate scatent: quod autem febris aliqua proximè imminens, non subito præsentiri semper potest, etiamsi nimium comedamus, fortè ex eo accidit, quod succum nutritivum non omnes cibi augent. Multi jam anni sunt, cum singularem in me ipso omnium ciborum nauseam animadverti, postquam verò interim usitâe edendi consuetudini mos erat gerendus, repentina me invasit febris, quæ diu etiam institit. Postea, quantumvis satis quandoque inordinatè vivendum mihi fuerit; quia tamen ea, quæ suprâ dixi, probè observavi, nihil tale mihi amplius contigit; aliis verò simile quid in se ipsis se subsentire narrantibus consului, à largiori pastu se temperarent, omneque superfluum sudore excernerent. Hoc secuti consilium optimè habuerunt, consueto comedendi appetitu brevi recuperato. Alios verò, qui edacitate continuârunt, febris repentè corripuit. In quibus omnibus tot exemplis jam adeò confirmatus fui.



fui, ut nulla ferè amplius dubitandi occasio sit. Neque enim, quod ciborum appetitum in bene constitutis diminueri aut nauseam eorum ciere magis possit, video, quam si succi, qui nutrimentum nobis præbet, major quam nostra requirit natura, quantitas in nobis fuerit. Plus vice simplici observavi, aliquos, in labore sibi incumbente indefessos, cum sedentariam ex abrupto vitam elegissent, febre repentinâ obrui, cujus causa ex antè dictis satis clara. Cum enim strenuè laborarent, succi nutritivi superfluitas, siquidem aliqua adfuerit, expellebatur: simul ac verò à labore cessatum, nec minus interim, quam durante adhuc labore comestum fuit, succus nutritivus facilè adeò crescere potuit, ut, quia non jam labore ut antè evaporabat, febrim generaret. Insuper observavi eos, quorum facies indies solito magis irrubuit, continuante coloris hujus augmentatione, ex improvise omnium cum admiratione (quia florida ejusmodi facies vulgò signum perfectæ valetudinis esse judicatur) in febrim illapsos: ubi postea multis, in quibus tale quid adverti, id malum, nisi à consuetâ victûs ratione abstinerent, certò ipsis eventurum auguratus sum; qui experientiâ postmodum ejus, quod antea credere noluerant, convicti obstupuerunt, quod nullo modo comprehenderent, unde ejusmodi de ipsis satis & athleticè valentibus prælagire potuerim. Id quod omne meam de verâ februm origine, earumque præcautione sententiam summopere corroborat. Pergere hic quidem possem, clariorique, quam ab ullo unquam præstitum fuit, modo commonstrare, quo pacto post Tertianæ aut Quartanæ earumque singularia symptomata ex eodem orientur fundamento. Dum enim genuina morbi alicujus causa modò detegatur, omnes alii, quos generat, effectûs ab eâ deduci indubitato poterunt, quos tamen jam proferre supersedeo, quia, cum in similibus nimis ad specialia proceditur, ob tot internas naturæ nostræ operationes incognitas facilè & graviter errari potest, ut ut admodum verisimile nobis

nobis appareat. Et quia ejusmodi porrò scientia, si vel consummatissima foret, neque ad febres præveniendas, neque ad eas extirpandas ideò unquam serviret, quod tamen inter alia hîc ostendere præcipua intenti mei ratio est. Cum contrà id obtineri facilè possit, cognitâ nobis primâ ejusmodi morborum origine, quod etiam multò priore facilius detegi potest, prout clarissimis eam experienciis me insinuasse arbitror. Bene autem notandum, quod, etiamsi nimia succi nutritivi quantitas febrim plerumque progignere, plurimum tamen aliorum morborum causa pro aliâ atque aliâ corporis constitutione esse possit. Sufficiat hîc ejus saltem, cujus experienciâ magnopere confirmatus sum, mentionem fieri. Sæpius miratus sum, quî fiat, ut apud infantes epilepsia sit tam frequens; id autem deprehendi, videlicet cum ex multis rationibus perfectè valeant, utpotè ex sanis parentibus prognati, ac proinde salubri nutrimento potiti, nullam hic aliam comminisci causam posse, nisi quod superfluo fruuntur nutrimento. Hinc vulgò perhibetur: infantes, qui sæpè vomuerint, plus aliis non vomentibus profici, quia eò ipso superfluum ejicitur nutrimentum, in aliis remanens, nec proinde hîc loci tam tristis effectus, quam apud alios, exoritur. Imò crescentibus annis hunc affectum rediisse animadverti, quoties nimis immoderatè comederint, adeò ut, quod apud alios febrim, id apud hos epilepsiam excitârit, eò quod ab ineunte statim ætate eâdem ex causâ sibi jam tum eam contraxerant. Quod autem ex eâdem accrescentis superflui nutrimenti causâ gravior in infantibus affectus (veluti epilepsia) resultat, quam in provectoribus ætate (qui febre tantum affliguntur) ratio esse potest, quia sanguis in infantibus ordinariò activior est, ac proinde vehementiores edit operationes. Porrò etiam inveni homines senio confectos, valetudinarios, aut obesi corporis homines, postquam aliquandiu parcius comederunt, si unico solo pastu contra regulam quartam peccârint, ob hanc causam apo-

apoplexiâ repentinâ fuisse sublato, quod ex eorum sectione postmodum luculenter apparuit, cum omnia membra in optimo fuerint statu, uno cerebro excepto, quod cruore scatuit seroso. Cujus rei venularum ex nimis succi celeri nutritivi accretione disruptio procul dubio causa fuit. Fuerunt etiam aliqui grandævioris ætatis homines, quos novi aliquamdiu parcus pastos, cum in epulo quodam & hilaritate elati & opiparo apparatu allecti suo comedendi bibendique munere strenuè defungerentur, nocte proximè sequenti de insolitâ cephalalgîâ, mox & capitis ponderositate conquestos esse, adeò ut sublevari illud ab aliis peterent, quod amplius sustinere se propriis viribus non posse asserebant, eoque vix prolato, derepente immobiles expirasse: quod multi satis mirari non potuerunt, maximè cum tantæ eos valetudinis constitutione vegetos animoque festiviori lætitiâ prædito paulò ante viderint: cujus tamen causa ex eo, quod apoplexiæ malum inferre modo dixi, meo quidem iudicio, cognitu mihi facilis fuit. Nam temperatiori usque modo victu usos, multos extemplo variosque simul superfedere cibos, subita nimis admodumque noxia contra quartam regulam mutatio erat. Porrò si cuiquam optimè valenti inter dulces symposiastarum conversationes animo indulgendi occasio, dapiumque ad palatum compositarum copia apposita fuerit, urgente insuper, ut fit, instantius hospite, ulteriorem ciborum degustationem, facilè tunc accidet, ut aliquis modico aliàs victitare solitus inopinatò plus quam crediderit assumat, unde facili negotio nutrimentum adeò augeri potest, ut venulæ præ aliis subtiliores, & ob senium non tam solidè amplius firmatæ quam in junioribus, insolitam hanc à succo subinde affluente intensionem sustinere non valentes disrumpantur, quod, antequam fiat, exquisitissimum utique dolorem, qualis in læsione quâvis observari solet, inferre nemo negaverit; post autem cerebro sanguine repleto caput pondus acquirere videtur, ac proinde si

d

fan-

sanguinis copia tantâ forte concurrat celeritate, ut nullum fortiatur exitum, præsentissima necessariò mors sequitur. Contrâ talium in juvenibus rectè valentibus exemplorum non recordor, nisi quod in tanto victûs excessu magno capitis dolore, aut etiam hæmorrhagiâ laboraverint, quod robustiore scilicet naturâ præditi malo huic (quod decrepiti dubio procul incurrissent) resistere adhuc valuerunt. Quamquam in juvenibus, & ægrotis variorum subit exemplorum memoria, ubi præcipuè notabilem vidi casum, assertionem hanc meam magnopere corroborantem. Sedecim annorum adolescens gravem aliquandiu perpeffus morbum, ad eum jam à duarum usque hebdomadarum tempore convalescentiæ gradum pervenerat, ut altero post die lectum relinquere constituerit, cum eodem adhuc sero decumbens hilarem amicis ostenderet frontem satisque prolixâ cœnâ passus non parum exhilararet adstantes, qui quod tantum comedere posset, nondum viderant. Sed ecce! vix appropinquaverat diluculum, cum præcox apoplexia & capitis movendi, & loquendi facultatem dicto citius adimeret. Supervixit tamen adhuc, pro ejus naturâ, quam satis vigorosam habuit, sedecim horas, imò servari eum forsitan potuisse crediderim in vitâ, si media, quorum in tertiâ Parte fiet mentio, fuissent adhibita: cum verò magna ipsi infunderetur medicamentorum copia, quæ nullo modo inservire poterant ad coacervatum istum, de quo aliquoties dixi, cruorem dissipandum seu expellendum; nulla utique restitutionis spes integra esse potuit. Non prolixus ero in causâ tam inopinatâ & repentina mutationis explicandâ, ne, quod aliquoties jam prolatum est, ad nauseam repetatur. Tandem apoplexiâ ictos novi naturæ eorum vigore sensim quidem se recollegisse, gravi tamen ex intervallo temporis affectu febrili infestatos fuisse: cujus causa est, quod etsi succi nutritivi abundantia venulas aliquantulum dilacerare inceperit; quia verò fortiores fuerunt, quam ut plane dissilire possent, altera-

alterationem illam in febrim degenerasse oportuit. Ex quibus omnibus jam dictis vera & prima tum febrium, tum apoplexiæ, tum & epilepsiæ origo luculenter apparet. Non equidem sat temporis habui isthæc omnia examinandi tantâ industriâ, experimentorum reiteratione, quantum quidem ad aliquid certi in materiâ tanti momenti concludendum requiri scio; speraverim tamen, tantæ jam prolata probabilitatis esse, tantique ponderis, ut si vel maxime ita se non omnino haberent, nihilominus ob speciem veritatis, quam præ se ferunt, exactiorem apud eos, quibus plus occasionis suppetierit, disquisitionem mereatur. Quanquam quid opus est omnes determinare morbos è victûs excessu provenientes? sufficit ostendisse præcipuos, & ut plurimum evenientes casûs, unâ cum indicio perfacili, quo observato omnia inde emergentia præcaveri possint, ut insimul insignis hujus regulæ utilitas appareat, quæ à tam gravibus nos morbis, per remotionem originis eorum, modoque tam facili liberare potest. Denique per totum diurnum tempus jejunandum esse suprâ dixi, quia notavi, cum in eodem aliquando statu versatus in tertium usque diem perrexissem, tantam mihi salivæ copiam succrevisse, ut dentes solito minus stabiles mihi viderentur, ejusque acrimonia palato non parum doloris inferret: postquam igitur hac ratione edendi appetitus redierat, tantam in mandendo difficultatem & dolorem experiebar, ut cibos in minutissima frustula dissectare cogerer. Quocirca porrò sic eveniente casu non multum ultrâ diem jejunandum arbitratus sum; observatâ postea majori salivæ copiâ, paululum edere incepti, sæpius interim lymphâ palatum, quò salivæ acritudo leniretur, diluendo, sicque pristinum edendi appetitum recuperavi.

## REGVLA SEPTIMA.

*Cum iis, quibus maxime assueti sumus, utimur, & quidem absque ullâ festinatione: interim tamen inconsuetam inde nobis fatigationem provenire experimur; rationem tunc in-*

*eundam esse, an ea indies, aut etiam celerius augeatur: quod si fiat, moras tunc non esse neētendas, quousque malum adeò crescat, ut decumbere cogamur; sed illico minus cibi assumendum: precipuè verò illos, qui nauseam nobis cient, juxtà secundam regulam, esse vitandos, illosque contrà usurpandos, ad quos appetitus nos maxime invitaverit: noctu verò obtecto corpore, solitoque coöpertius cubandum, quò melius omnia membra refoveantur: illud autem tantisper continuandum, quoad restaurari vires ceperint.*

PROBATIO.

**Q**uamvis hæc omnia vix ullâ indigeant probatione; atamen, quid hac in parte & quanto cum effectu observaverim, aperiam. Quotiescunque mihi novas adire provincias contigit post bimestrem, aut trimestrem alicubi commorationem, singularem in communibus & alioquin assuetis actionibus (ut in graduum ascensione, in exspatiatione saltem horariâ) defatigationem memini me perpeffum, nullo licet aliquâ in re excessu, quod sciam, commisso. Quanquam si, quod res est, dicendum foret, non erat quod mirarer: cum natura tunc nostra tot novis rebus (ut aëre, cibo, potu, &c. diversis, alioque insuper modo præparatis) assuefacienda sit, quæ tamen non in quovis homine semper æquè valida ad istiusmodi sufferendum invenitur; adeò ut memorati casus facile evenire potuerint. Simul ac verò supradicta adhibui remedia, non solum brevi vires amissas recuperavi; sed etiam, cum postmodum illis in locis non parum excedere in victu oportuit, nullum inde damnum perferri: cum alii contrà ad hæc non attendentes, & indies more solito quasi viventes, in maximos incurserint morbos. Imò ætatis robustioris juvenes, qui tantæ valetudinis mihi videbantur, ut necessariò ad summum senectutis gradum perventuros esse judicarem, intra paucorum dierum spatium conspexi & salvos & mortuos. Quanta verò peregrinantium non obiit pars ex hoc solo, quod id unum  
non

non observat? Cæterum quid inconsuetæ ejusmodi mutationes efficere possint, id vel ex hoc unico colligere in me ipso mihi licuit, quod, cum aliàs à teneris usque pani siligineo assuetus essem, postmodum verò pervenissem in aliquam regionem, quâ farreum ob ejus vilitatem aspernatus triticio tantum vescabar, vix octo aut decem septimanæ præterierunt, cum singularem omnium membrorum lassitudinem expertus sum: ut primum verò ad hujus regulæ praxin me applicarem, utendo jam nunc triticeo (quem adeò tunc abhorruì, ut intueri vix sustinerem) sed quasi semper siligineo pane (cujus appetitu tum temporis ferebar singulari) brevi redierunt vires, superatoque hoc discrimine, quocunque postmodum panis genere pascerer, extra omne noxium fui. Cujusmodi præcipuè lassitudinem in me aliquando percepi, ab extraneis regionibus per aliquot annos peragratis in patriam redux. Quippe omnibus in patriam reversis id solet accidere, ut eo temporis varii ipsis proponantur cibi, quibus à primis olim annis assuefacti sunt, quibus extra patriam versati diu vel planè caruerunt, vel non eodem modo præparatos habuerunt; hinc aliquam sentiunt difficultatem in appetitu inconsueto tum temporis existente cohibendo, quo minus sibi ipsis plus, quam opus fuerit, satisfaciant. Sic tali in casu brevi notabilem omnium virium imbecillitatem in me ipso observavi, cui per id, quod supra hâc in parte attendendum præcepi, subito remedium inveni, neque ulli postea in cibo aut potu excessûs inter familiares amicos commissi impedire valuerunt, quin optimâ interim fruerer valetudine.

Hæc ergò præcipua sunt indicia, certissimè imminētis morbi nuncia; non desunt quidem alia, quorum alii mentionem faciunt, quam plurima, eorum tamen quædam nulli planè sequuntur morbi, (quo ipso multis vanum incutiunt metum) quædam rarissimè occurrunt, ac proinde non facilè in memoriam revocantur ad morbos cognoscendos,

iisque remedium quærendum: quædam nimis repentini nimisque periculosi sequuntur morbi (ut cum tertiam, præsertim autem quartam contra regulam peccatur) propterea parum expedit ea scivisse, cum non satis temporis nobis sufficiat ad morbis instantibus præveniendum: satius fuerit nosse remedia contra ea ipsa indicia, ne in nobis exoriantur, id quod in primâ parte, ut modo dixi, sufficienter expositum est: tandem quædam ab aliis indicia notata fuere, quæ ex jam dictis, nisi maturè præcaveatur, proveniunt; magis ergo necessarium fuit priorum tantum mentionem facere, ut quam fieri possit citissime consilium inveniatur. Quâ autem ratione morbi ea sequentes evitandi sint, in his regulis sufficienter etiam arbitror esse explicatum, eaque proposuisse remedia, quæ cum naturâ valde conveniunt. Quia omnia in hoc tantum sita sunt, ne victus tantâ, quantâ aliàs solemus, abundantiam capiatur, & ut noxiæ superfluitates, sive aliquo corporis exercitio, sive sudore expellantur. Hæc autem remedia, ut maximè parvi momenti esse videantur, quantæ interim utilitatis sint, alii reipsâ satis percipient. Hoc pro certo asseverare possum, me, licet multis retrò annis ob perpetuam quasi peregrinationem, nullam unquam valetudinis curam habere licuerit, quin potius sæpius enormiter contra eam deliquerim, nunquam tamen ab ullo morbo adeò fuisse oppressum, ut triduum me domi continere fuerim coactus, ex hoc solo, quod has tam viles res observavi, præcipuè cum non tam robustæ sim complexionis, quam aliorum multorum esse ex indiciis haud fallacibus judico. Neque etiam, quâ ratione regularum circa valetudinem conservandam utilitas perfectius cognosci possit, video, quam in personâ complexionis non adeò validæ, cujus tamen ope in prosperâ sese valetudine diu conservare (non tantum cum juxta diætam præscriptam vivere ipsi licet, quia talis conservatio non tantæ molis esset; sed etiam præcipuè cum maximè inordinatè & præposterè victitare tenetur)

netur)



netur) potest. Demus autem non eâ, quâ par est, accurati-  
one has observari posse regulas, tam ob varia in negotiis  
hominum occurrentia impedimenta, quam multis aliis ex  
causis, ac proinde nos aliquem in morbum, qui planè nos  
prosternat, prolabi; idcirco in tertiâ Parte ostendam, quo-  
modo tunc procedendum sit, ubi talia me prolaturum spe-  
ro, quæ lectori, veritatem amanti, non displicitura esse con-  
fido. Ast fideliter in antecessum præmoneo, exactius his,  
quam quæ in secundâ Parte dicta sunt, obtemperandum esse.  
Et sanè, quid, quæso, post intellectûs culturam laudabilius,  
& quod majori cum utilitate conjunctum sit, præstari à nobis  
potest, quam valetudo amissa ut corpori restituatur, ut ali-  
quamdiu otiosi id obtineamus, quò postea expeditius diu-  
turnaque corporis salute nostras exequi occupationes quea-  
mus? Contrà verò, quod majus damnum ultro nobis ac-  
cersere possumus, quam si nostras continuando occupatio-  
nes non fuerimus unicè occupati in morbis propellendis, ni-  
hilque aliud reportamus, quam ut tantò post diutius iis ex-  
cruciemur, ne dicam, planè pro symptomatum frequentia  
extinguamur?

# MEDICINA CORPORIS,

SEV

*COGITATIONES ADMODVM PROBABILES  
DE CONSERVANDA VALETVDINE.*

TERTIA PARS.



Am instituti mei ratio requirit, ut aperiam, quo-  
modo morbus, ubi jam in tantum excrevit gra-  
dum, ut ejus infirmitates & dolores corpus à  
consuetis suis functionibus arceant, per reme-  
dia,

dia, quæ experientia nos docet, omnium securissima è medio tollendus sit. Sique ullâ in re, certè in hâc ipsâ contingit, ut quot capita, tot sententiæ sint, inter ipsos etiam Medicinæ Doctores. Ea enim omnium hominum natura, est, ut nullum hâc in re consilium, dum valent, expetant, imò quæ optima circa hâc ipsis proponuntur alto supercilio despiciant, aliis contra ægrotis fat remediorum suppeditent. Simulac verò ipsi eandem subire vicem cogantur, nec consilii tunc locum habent, nec remedii copiam, cujusvis implorant auxilium, nullumque ipsis communicari potest remedium tam superstitiosum tamque vanum, ad quod arripendum non propendeant. Imò si unquam quod optimum est, & facilè obtineri potest, maxima pars hominum insuper habet; tum maximè id contingit, cum ad valde inconsuetâ, quæque vel è longissimè diffitis regionibus apportantur, vel ex intimis terræ penetralibus excavantur, confugiunt, facilèque crediderim, si quicquam posset è distantissimis cœli partibus accersiri, citius id approbaturus quam aliquid cogniti, cuique maximè fuerint assueti. Hinc tam ridicula nonnunquam prodeunt remedia, quorum autores fatuitatem humanam risui exponere velle videntur potius, quàm sana iis suppeditare consilia, quæ nihilominus tantâ veneratione acceptantur, non secus ac si divinæ inspirationes essent. Cui saltem cognita fuerint remedia, contra febres & spasmodum proposita, reipsâ sufficienter, quod jam dictum est, experietur, cum tamen præter omnia isthæc remedia, febres communes vel facilè præveniri, ne iis infestemur, ut in regulâ quintâ probatum; vel si jam tum nos invaserint, facili negotio profligari possint, ut in sequentibus ostendam: nec minus spasmus (qui multos multum affligit) momento ferè tolli potest, dummodò cum primum persentire inceperimus, pedes benè extendamus (id quod multi quidem faciunt cum aliquo mitigationis sensu, nondum tamen sufficit) extremumque pedis versus nos magnâ cum vehementiâ attrahamus:

mus:

mus: sic enim nervi fortiter intenduntur, spasmusque dicto citius cessat, cujusmodi momentariam curam multi, qui tentarunt, non sine admiratione experti sunt. Verum non immorabor diutius in suprâ dictorum per exempla confirmatione, quod ea candidioribus & veritatis avidioribus ingeniis satis superque nota esse scio. Quanquam admodum difficile mihi videtur à tam inveteratis & damnosis præjudiciis genus humanum liberari posse: attamen cum optima ingenia, primam hâc in re glaciem quasi fregerint hisque se abusibus masculè opposuerint, non dubitavero meas circa hanc rem cogitationes liberrimè exponere. Ast rogatos velim lectores, ut ne judicium contrâ me præcipitent, nisi omnibus ad finem usque bene ponderatis. Esto igitur juxta ordinem, hactenus observatum

## REGVLA OCTAVA.

*Cum in eo jam sumus statu, ut continuas quasi debilitates aut dolores sentiamus, omnia negotia planè intermittenda, eaque remedia, quæ jam proponentur, absque morâ adhibenda esse.*

## PROBATIO.

**H**ic plurimi maximos committunt errores. Permultos enim novi, qui multò antè, quam in graves inciderent morbos, de variis conquererentur doloribus, nec tamen de ullâ præcautione solliciti essent, sed consuetis suis occupationibus more solito fungerentur, at maximo eorum cum damno. Quippe quod rationi omnino congruum videbatur, se omnibus negotiis per aliquot saltem dierum spatium exutos, iisque usos remediis, quæ jam proponenda sunt, facile ab omnibus hisce malis liberatum iri: cum contrâ adaucto nimis eorum malo aliquot postea menses ab omnibus negotiis abstinere coacti, in pristinam restitui salutem vix potuerint. Inter alia hoc quoque circa secundæ Partis finem fideliter monui, notumque est insuper tritum illud: *Principiis obsta, &c.* sed ô quotâ vice repetendum foret, ad sufficienter persuadendum hominibus condignam moniti hujus

e

obser-

observantiam? Imò ipsos quandoque vidi medicos ad ægri curam requisitos liberè profiteri, nondum contra morbum quicquam ordinari posse, sed tantisper expectandum esse, quoad cognoscatur, in quod morbi genus hoc malum degeneraturum sit, nec ullum ægroto præscripsissent medicamentum, nisi existimationis conservandæ gratiâ moti. Quæ tanta tamque solennis stultitia est, ut nullâ opus habeat refutatione. Quasi verò tantum temporis morbo sit indulgendum, ut magis magisque crescendo tantò majores acquirat vires ad valetudinem nostram eò facilius extinguendam? Non autem dubium est, quin cuivis malo libenter multi citò resisterent, si certi essent, quodnam inter tot medicamenta, quæ singuli diversa præcipiunt, præ aliis præcipuum, morboque magis appropriatum, seligendum sit, ne malum malo augeatur. His ergò ut subveniatur notandum, ut remedia securissima & naturæ nostræ convenientissima certò inveniamus, maximè attendendum esse, per quas præcipuè res vita nostra, dum valemus, conservetur, ut, cum ejus discrimen incurrimus, judicare queamus, quibus rebus naturæ in primis succurrendum sit, si rebus sibi contrariis adeò impediatur, ut sibi ipsi sufficere hac in parte nequeat. Sique experientiam consuluerimus, primum aërem, ut respiremus, requiri notabimus: deinde alimenta, quæ capimus: & denique calorem naturalem, omnia nostra membra vivificantem. Uno enim horum trium continuè absente, mors necessariò sequitur. Hinc facilè concludendum, quibus auxiliis, cum ægotamus, naturæ succurrendum sit. Videndum scilicet est, aëris constitutio qualis tunc requiratur; quæ præsertim alimenta assumenda sint; quoque modo calor internus ita adjuvari possit, ut omnia sibi contraria vincere valeat. Hæc autem docebunt tres, quæ sequuntur, regulæ.

## REGVLA NONA.

*Procurandum, ut ægotus sistatur in aëre tranquillo, subcalido, nullo forti odore, qui ipsi fuerit molestus, repleto, sique aliquam-*

*quamdiu morbus duraverit, expulso veteri aëre, novum in locum, in quo ægrotus decubuerit, intromittendum, & totum conclave repurgandum esse.*

## PROBATIO.

**H**Æc omnia satis sunt clara. Qui verò ad ea attenderit, graviter contra ea committi animadvertet. Quot eorum, qui satis infirmi sunt, in plateis non deambulant, aut sua sectantur negotia? Alii in conclavibus dormiunt, vento undique perviis: imò non rarò vidi infirmos lecto relicto leviter vestitos per fenestram apertam prospexisse ad observandum, quid rerum geratur in plateis. Quam necessaria autem, si diutius insisterit morbus, aëris sit mutatio, de quâ modò dictum, incolumes experiuntur, dum ægros invisunt, in quorum camerâ fenestræ aliquamdiu fuerunt clausæ, quam fortis nimirum & ingratus tunc sentiatur odor. Contrà si per apertas tantisper fenestras liber aëri transitus fuerit concessus, ac conclave fuerit bene prout decet repurgatum, frigidâque conspersum aquâ, non parum refici ægrotus deprehendetur.

## REGVLA DECIMA.

*Ab omni cibo potuque quantum possibile abstinendum, horis verò pastui destinatis, si ciborum non appetitum, sed aversionem potius habuerimus, nihil quidem eorum assumendum esse. Juvat tamen eos coram præparatos aliquantisper intueri, aliosve eos comedentes aliquamdiu spectare: quod si verò appetitus oriatur, edere quidem licebit, at modicè & non nisi quæ bene calida, facilis digestionis, nobisque ordinaria, seu ut plurimum usitata fuerint. Ubi verò singularis & extraordinarius certi alicujus cibi, licet aliàs inconsueti, appetitus in nobis fuerit excitatus, satisfaciendum ei quidem esse, sed non nisi horis ad pastum ordinarium destinatis, nec magnâ nimis copiâ assumpta.*

## PROBATIO.

**H**ujus rationes sunt istæ: quod cum valetudinis ratio in eo sit sita, ut corporis nostri vires sint fortiores rerum

externarum continuè in illud operantium viribus ; ideoque morbus nihil aliud sit quam ejusmodi status, quo vires rerum externarum fortiores nostris evadunt, easque jam tum sensim destruere incipiunt : non consultum certè videtur, magnam rerum externarum copiam corpori nostro ingerere, præcipuè quando naturam nostram maximè ab iis abhorrere deprehendimus. Huc accedit, quod omnium nostrarum operationum debilitas in nostro tunc corpore nimis sit evidens, nec proinde sufficient ad ejusmodi partim concoquenda, & in chylum convertenda, partim per omnes corporis partes post transmittenda, & ut opus fuerit distribuenda : nam & nimis debiles sanguinis motus, cujus ope distributio ejusmodi procedit, ex tardiori arteriarum pulsu sufficienter colligitur. Hinc in sextæ regulæ probatione ostendi, toties observatos esse ægros ex nimis avidâ ciborum assumptione, in apoplexiam incidisse. Attamen cum juxta octavam regulam nihil utilius fuerit, quam ut, pristinum corpori vigorem restituere quam potest fieri citissimè, studeamus : sæpius quippe usu venit, ut diversam planè naturam brevi adeptum corpus haud facile ad priorem reducatur statum ; optimum ergo fuerit, ut, horis ad pastum constitutis, aut cibos nobis præfentes mensæ appositos coram intueamur, aut aliorum alacriter & appetenter comedentium spectatores simus, quo ipso amissus ciborum appetitus facilius recuperabitur : quandoquidem in multis vidi ægrè passis mentionem tantum fieri ciborum, cum primum alios conspexerint comedentes, appetitum rediisse : appetitui verò jam præfenti utique, propriâ naturâ nos ad eum sollicitante, obsequendum esse ; at ex rationibus allegatis, moderatius, idque in cibis bene adhuc calentibus, sic enim interno ad concoquendum requisito calori succurritur. Porro cum omnes corporis nostri operationes magnâ cum debilitate procedant, eorum maximè ratio habenda est, quæ facilioris sint concoctionis, ut sunt carnum gallinarum, aliarumve rerum juscula, aliaque ciborum humo-

humoris potius quam solidi speciem referentium genera, quorum quidem nullum observavi meliorem, quam qui sequitur. Variarum carniarum facilis concoctionis succosarumque species jungantur, discendantur in minutissima frustula, earum ossa, quae non nimis dura fuerint, sed medullae plena in mortario bene contendantur; haec omnia inter se commixta quoad satis est coquantur, & ut notum est praeparentur. Multa hic addi possent, ut: alvum, si obstructa fuerit, cibi moventes, soporiferique, si magni dolores saevierint, & sic alia adhuc alterius generis, &c. prout appetitus aegroti vel acidum vel dulce, vel salsum, vel insulsum desiderat, ejusque constitutio requirere videtur, dummodo, ne multum aromatum aliarumque ejusmodi rerum, quae parvam succi praebent, adjiciatur. Hisce omnibus ita praeparatis, corpus succo tantum inde facto, (quicquid autem in succum non evadit, removendum.) dum morbus durat, continuè nutriatur, nullo alio cibo aut potu (nisi forte appetitus aliud quid desideraverit, ut jam mox dicetur) adhibito, tandemque succus iste vel spissior vel tenuior reddi ad aegri placitum potest. Quae omnia rationi maximè consentanea videntur. Iste enim succus ciborum essentia quasi aut virtus est, qui solus ut plurimum nutrimentum nobis, dum edimus, praebet, ubi omne residuum, quod in succum verti non potest, à naturâ ut superfluum rejicitur. In regulâ hâc supra quoque volui, ut ab extraordinariis cibis abstineatur, nisi nimis magnus eorum fuerit appetitus. Quantum hoc experientiâ confirmetur, in regulâ secundâ ostendi, quae ipsa hujusce maximè in praegnantibus evidentissimè nos convincit, non semper denegandum esse infirmis id, quod tanto desiderio appetunt. Quod si verò iste appetitus non fuerit valdè insolitus, aut vehemens, (id quod in se ipso quisque facile sentiet) ab hisce omnibus abstinendum est, quae raro seu non semper comedere solemus, ut sunt poma, ostreae, haleces, musta, mella, &c. cum enim, ut supra dictum (Reg. 7.) peregrinas regiones visitando, multi tantam in se omnium

virium debilitatem ex eo derivent, quod tam inconsuetis rebus, vel iis saltem, quæ non eo, quo assueti sunt, modo præparatæ sint, uti cogantur; quid demum alterationis procreaturum creditis in statu, quo omnes vires debilitatæ sunt, assumptionem variorum ciborum, quibus ordinariè non assueti sumus? Quocirca quivis, qui sanam secutus fuerit rationem, tantò magis pro certo mecum colliget, quam periculosum esse videatur, non tantum inconsueta tunc edere, sed & talia, quæ nunquam comedimus, vel quæ nullus hominum, dum valet, edere solet. Hic aliquos fortè dicturos esse suspicor: neminem fore tam omnis rationis expertem, ut ægrotus ea assumat, quibus neque ipse, neque ullus alius, dum valet, fuerit usus. Verùm meritò quis mecum miretur extravagantias, quas consuetudo introducere valeat. Quid enim quæsò aliud sunt omnia chymica præparata ex metallis, mineralibus, &c. (medicamenta, ex. gr. è ferro, plumbo, antimonio, corallis, &c.) imò omnia propemodum medicamenta, quæ passim omnes ferè tunc assumunt, quam talia? Hujus conclusionem mihi fortè lectores hic negaturi sunt, licet omnibus antecedentibus, ex quibus ea formata est, planè assenserint; idque ex hâc tantum ratione, quia quædam admodum speciosa sunt, quibus plebejorum hæctenus oculi mirum in modum excoëcati fuère. Veræ enim procul dubio rationes, cur ad tam monstrosa remedia prolapsum, hinc ortæ sunt, quia in principio morbi plerumque nullum ægroti cibum desiderant, creditum fuit aliud quid esse adhibendum, quod nullam cum cibus convenientiam haberet. Quæ ratio mihi haud minus absurda videtur, quam si ad vividius inflammandam candelam semiextinctam, quia alioqui sebo, cerâ, &c. abundat, nec ejusmodi opus habet, ideo quis aliud quid, & quod cum hisce pabulis non congruat, usurpandum esse arbitretur. Porrò opinio fuit, non frustra Deum isthæc per naturam produxisse, sed potius ad nostram utilitatem: sed hoc ipso profectò obtendere velum huic rei voluerunt. Omnia enim



enim hujusmodi præparata chymica ex metallis, mineralibus, & vegetabilibus natura neutiquam produxit, sed ea per prodigiosas demum præparationes (quas cur alius hoc, alius alio instituat modo, causam vix quispiam, ut credo, assignaturus est) in medicamenta evadunt. Præcipuum tandem quod dicitur est: licet ejusmodi res nullam primò intuitu cum naturâ convenientiam habere videantur, magnam tamen earum utilitatem experientiâ satis superque confirmari. Ast si in rebus dubiis & obscuris potius id, quod maximè experientia utile esse confirmaverit, sequendum est, de quibusnam rebus, cedò sodes, plus experientiæ habemus, & quænam tantâ nos perspicuitate, quod corpori nostro maximopere profint, certiores reddunt, quam ordinarii cibi. Hos enim, ubi bonâ fruimur valetudine, tantâ in copiâ, totque vicibus indies assumere licet, utilitatemque ex viribus, quas corpori nostro communicant, adeò manifestè offendimus, ut nihil horum à quopiam in dubium vocari possit. Quisquis vel de unico aliquo medicamento mihi demonstraverit, me illud salvum & incolumem, ea, quâ cibos consuetos, ratione & copiâ impunè assumere posse, causam nullam dixerim, quin me victum asserat. Communiter hic respondetur: Quod si medicamenta eâ ratione & quantitate, quâ ordinarii cibi, usurpari possent, non essent medicamenta. Quæ instantia quam nullius sit probationis, non est quod prolixius commemorem. Omnia enim eò recidunt, aliis, cum decumbimus, utendum esse, quam cum valemus, & medicamenta diversas à cibis proprietates requirere, quod nondum probatum; sed potius tam absurdum videtur, quam candelam ad extinctionem vergentem aquâ refocillare velle. Quanquam non negaverim, aliter cum ægroto quam cum sano esse procedendum, quod ipsum maximè hoc in tractatu ostendere institui. Indè autem non sequitur, aliis tunc rebus, & quæ cum iis, quibus rectè valentes utimur, nullam habent congruentiam, utendum esse; quin potius sanam rationem mihi persuadere posse  
non

non reperio, id magis sequendum est, quod experientia utili-  
lius esse docuerit, eaque in promptu sunt, quæ in magnâ co-  
piâ accepta non illico nocent, sed potius vires corroborant,  
ut alimenta communia fuerint: sique contrâ ad manus sunt,  
quæ quantitate non æquali accepta semper noxia sunt, vires-  
que debilitant, ut omnia præparata chymica, simul ac inju-  
sta à medicis ordinata dosis excedatur: hoc, inquam, (posito  
utroque ut indubitato) rationem sanam mihi persuadere pos-  
se non reperio, ut aliquem in morbum prolapsum posteriora  
inconsueta remedia potius usurpemus, quam priora, quibus  
assueti sumus. Huc accedit probabilem suboriri suspensionem,  
omnia ejusmodi præparata chymica, quorum dosis in paucis  
consistit guttulis aut scrupulis, fortè pura puta venena esse.  
Quâ verò fronte isti talium medicamentorum æstimatores  
id, quod jam propono, accepturi sint, equidem haud scive-  
rim; attamen non facilè ausus fuero cuiquam, etiam sanæ ac  
fospiti aliquod, quicquid sit, sub quantitate cochlearis men-  
suræ propinare ita ut repentiè moriatur, quin omnes venefi-  
cii me reum postulaturi sint. Quî ergò causari poterunt,  
hujusmodi medicamenta chymica, quæ licet non jam coch-  
leari quantitate, sed minutissimâ portione propinentur, mor-  
tem tamen intulerint, jure non posse dici venena? Hinc lu-  
culentissimè, meo quidem judicio, colligitur, cur plurimi  
ea tantæ utilitatis esse arbitrentur, quia nimirum, cum ejus-  
modi medicamenta, in justè præscriptâ dosi assumpta, magnas  
quidem in corpore nostro alterationes creare, non verò id-  
eo ejus functiones planè destruendi potentiam habere vi-  
dent, ex eo conjiciunt, majoris ea virtutis esse, quam ulla  
alia medicamenta, quæ tam sensibilia operationum suarum  
specimina non tam celeriter ediderint, hasque tam visibiles  
in corpore excitatas mutationes fieri asserunt, è tam vehe-  
menti contra morbum dimicatione, non considerantes, quod-  
vis venenum in parvâ dosi sumptum eundem editurum esse  
effectum, ut sunt: vomitus, sudores, magnæ intestinorum  
com-

commotiones, &c. prout eorum, qui venena potârunt, exempla satis testantur. Quam strenuè verò hæc medicamenta morbos impugnent, tum demum crederent, si cognitum ipsis esset, quam multi mortem ex hoc solo obierint, quod præparator horum medicamentorum contra præscriptam à medico dosin imprudenter peccaverit. Et edoceri velim, unde medici resciverint, tam parvam ægroto dosin in ejusmodi medicamentis esse ordinandam? Nisi valde fallor, quam plurimos internecone abreptos fuisse oportet, priusquam hoc addiscerent. Quidam etiam medicorum mihi innotuère, qui, quando ægroti medicamenta eorum assumere ex eodem metu recusârunt, ad addendum ægroto animum, & ad probandam ipsi medicamentorum suorum innoxiam integritatem, plus quam ad dosin constitutam requiritur, se ipsos assumpturos esse asseruerunt, reipsâque præstiterunt, per hoc autem gravissimos sibi morbos accerserunt. Quin & aliquem novi medicum juniorem idem fuisse conatum, qui, licet optimâ frueretur valetudine, brevi tamen interiit. Interim, si præscripta dosis non exceditur, illudque proinde natura nostra superare valet, neque etiam tantâ medicamentorum copiâ, quanta apud Galenicis adhiberi solet, infirmus tunc aggravatur, sæpe accidit, ut ægroti brevi convalescant; idque (quia ad isthæc non bene attenditur) falsò adscribitur talibus medicamentis, quæ propterea etiam Galenicis, utpote quæ in magnis potionibus aliisque incommodis consistunt, præferuntur. Sic multa porrò referre possem, clarè indicantia, decumbentem non medicamentorum ope, sed sufficientibus propriæ naturæ, per ordinarium ciborum usum sustentatæ, viribus unicè pristinam recuperasse valetudinem. Novi virum magni nominis, quod ob ægrorum curationem in mundo obtinuit: novi itidem alios multos, eorumque aliquos exiguâ in arte medicâ experienciâ præditos, qui ejus methodum secuti felicissimas præstiterunt curas, quæ in his paucis consistit. Cum magni in ægroto oriuntur dolores, opiatibus

f

utun-

utuntur, cum calor excedit, alcalibus: ubi contrā frigus, depresso calore, regnat, acida usurpant. Quia igitur in ægrotantibus ex his tribus unum semper, vel plura etiam certò inveniuntur, facili negotio, quid ægrotò præscribendum sit, sciunt, cum aliud non opus sit, nisi memoriã retinere quædam alcalia, acida, &c. eorumque doses, tametsi nullam quis artis medicæ cognitionem habuerit. Hinc recordor, novellum medicum magnam sibi apud alios medicos præsentem, quibus methodus ista nondum erat cognita, admirationem & æstimum conciliaffe, quod tantum in variis processuum, quos vocant, modis ægrotò præscribendis habitum possideret. Sex enim ex. gr. alcalium, totidemque acidorum species sæpe inter se commutari possunt, adeò ut si jungantur, justam dosin non superent, facilique negotio cum aliis ista misceri & præparari, ut sub formã vel pilularum, vel pulveris, vel massulæ, vel potionis, vel succi ad ægroti palatum accommodari tradique possint. Sed vehementius adhuc mirabantur, cum ejus processûs, quos sibi notaverant, in iisdem postea casibus adhibiti, diversum planè sortirentur eventum. Non enim adverterant, quod iste bonus vir sub unguibus opiata celaret, medicamentisque clam ingereret, quæ cum ægrotò somnum inducerent, id reconvalescentiæ speciem apud illos, quos artificium hoc latebat, præbuit. Non tamen ideo prolixius ero in demonstrando, istam curandi methodum nullo modo securiorem esse eã, quam impræsentiarum proponendam suscepi, cum hujus rei cognitio non tantæ difficultatis sit: quia insuper manifestissimum est, per eam tolli tantum symptomata morbi (& adhuc sub judice lis est, an verè tollantur) non etiam veram ejus causam, ideoque hanc morbi curam, non ejusmodi methodo utenti, sed potius robustæ ægroti naturæ adscribendam esse. Facilius tamen per sequentem refutabitur regulam, in quâ modum ostensurus sum causam morbificam tollendi; tum demum palam fiet, per modum jam descriptum minime id posse expediri. Quanquam nimia mihi

hi

hi prolixitate opus foret ad artificia quævis narranda, quibus famam sibi idiotæ majorem, quam in arte medicâ experientissimi conciliare sciunt. Nec adeò incognita cuique talia sunt, ut ea sibi fortè imaginantur. Ex his verò omnibus factis perspicuum esse credo, admodum eos falli, qui recuperatam valetudinem medicamentis semper attribuendam, ac proinde magis tutum esse existimaverint, ingruente morbo, ad similia confugere, quam ad ea, quæ in hac regula unice observanda suprâ insinuavi. Ex his quidem omnibus sequi fateor, medicamenta ex vegetabilibus præparata minus noxia, ideoque tutiora prioribus videri; attamen non video, cur horum potius, quibus planè non assueti sumus, quam ciborum essentiis utendum sit, id est, succo ex iis, ut suprâ dictum, præparato, cui natura se nostra omnino assuevit, & præter quem naturæ nostræ nihil nobis magis conducere tot experientiis convincimur. Quanquam tanti quid refert? statuerit quilibet hæc de re quicquid libuerit, per me licet, dummodo remedia, quæ jam propono, omnium quæ scimus tutissima esse concedat. Cum igitur si ullâ in re, certè in hac, hominis aut vitam aut mortem concernente, cautè procedendum sit, ea meritò ante omnia arripienda sunt. Probè autem notandum est, me non ideo ullo modo improbare chymiam, sed ejus scientiam cuius naturæ scrutatori maximè potius necessariam judicare, tanquam præstantem admodum scientiam, ex qua incredibilem haurimus utilitatem; de qua nullus dubitabit, qui consideraverit omnia metalla, varias mineralium species, vitrum, calcem, lateres, saccharum, sal, pulverem pyrium, aliaque ejusmodi non nisi chymicis parari posse operationibus. Porrò bene notandum, me hic de generalibus loqui remediis, quæ, quomodo in omnibus morbis procedendum sit, indicant, non in morbis ex causis extraordinariis provenientius, id est, à rebus inconsuetis ex imprudentiâ assumptis, aut quæ ab accidentibus, quæ corpori nostro extrinsecus adveniunt, ortæ fuerint. Facile enim me tunc specifica quædam haud rejectu-

rum judicabunt, ut ut maximè inconstueta fuerint, eò quod in rebus dubiis & obscuris ei utique adhærendum, (ut modò dictum) quod utile futurum experientia probaverit. Quod autem in reliquis symptomatibus, quæ à rebus non tam extraordinariis procedunt, ejusmodi specifica, quicquid alii frustra gloriantur, admodum rara sint, vel ex hoc manifestissimum est, quod, qui se talibus uti jactant esse instructos, in morbis id ipsis probandum esset maximè notis, veluti febribus, aut levioribus etiam symptomatibus, ut odontalgia, tussi, raucedine, &c. cum enim similibus incommodis tam crebrò & ubique homines infestentur, eorum majorem sibi per tot secula cognitionem comparare debuerunt. Atqui non rarò mihi obvenêrunt impudenti audaciâ promittentes (si expeterem) certissima & infallibilia in hisce remedia, quæ postmodum applicata, in quibusdam quidem subjectis aliquam opem, at valde obscuram, nec æquè ac ipsi antè jactitaverant, sensibilem tulerunt; in plurimis autem subjectis planè promissis fefellerunt. Id quod nullo modo mihi admirationi fuit, consideranti, optimos quosque cibos, nobis etiam valentibus, non omni prodesse tempore, neque si post alios atque alios assumpti fuerint: quid quæsò demum sperare licebit nobis ægrotantibus, ubi effectus in corpore nostro se exserere possunt tam singulares, ut remedia, quæ heri profuissent, hodie obfint, & quæ aliis proficua, aliis contrà noxia esse possint. Optimè enim notari velim (siquidem omnes ferè in hoc quam enormissimè errant) effecta aut operationes, quæ à medicamentis sperantur, dependere, non ab ipsis tantum, sed partim ab ipsis, partim etiam à corporis nostri constitutione. Et quis quæsò in tantâ rerum multitudine, tantâque ob id obscuritate, aut earum ignorantia assèverare ausus fuerit multa se possidere specifica indubitato certa, cuius indifferentè & quovis tempore usurpanda? Ex quibus omnibus quam evidentissimum fieri videtur, hisce in hâc regulâ allatis remediis nihil excogitari posse generalius aut melius. Multi excellentium

tium

tium medicorum ultrò mihi facti sunt, medicamentis febres communes potius fieri peiores, nihilque conducibilius esse, quam ab omnibus, tum præcipuè, medicamentis abstinere; præterea illos, qui hoc fecerint bonæque diætæ rationem habuerint, multo citius ab ipsis, quin & à multis aliis morborum generibus liberatos fuisse. Progredior jam ad propositionem remediorum multò excellentiorum, veram morbi causam tollentium, & ferè universaliter omnibus morbis curandis inservientium, postquam hoc ultimum monuero, cur suprà in hac regula dixerim, omnibus cibis justo utendum ordine, horisque ad partum definitis. Videmus enim, dum prosperà fruimur valetudine, escam nos paulò tunc sumere appetentius, magisque nobis conducere, quam cum intempestivè & inordinatè pascimur. Nec satis mirari potui visitando ægrotos, maximè honoratioris conditionis, inordinatum & præposterum eorum vivendi modum. Simul ac infirmus tantillum queri inceperit, aliquod ipsi pharmacum ingeritur, mox hoc, mox aliud, & intra duarum horolarum spatium, quandoque tot vicibus & de rebus tam variis, ut, si sani corporis homo huic se applicaret vivendi rationi, brevi ægrotaturum existimaverim, tantum abest, ut tam intemperato victu ægrotus convalescere possit. Sed de his dixisse sufficiat.

## REGVLA VNDECIMA.

*Omnia corporis membra in tranquillâ quiete conservanda, sufficienti calore fovenda, sudoribusque exercenda esse.*

## PROBATIO.

**Q**Uod hic omnia membra in tranquillâ quiete conservanda esse dico, non accipi velim, uti in regulâ octavâ, ut omnibus negotiis se abdicent: nec tantum ut in lecto decumbendo bene quiescant; sed præcipuè ut à motu, quam potest fieri, maximè nobis temperemus. Hâc enim ratione magnis sævientibus doloribus, quoties uno in situ immobilem me tenui, toties dolores notabiliter remisisse, aut

saltem tolerabiliores factos reperi; contra quò plus hinc illinc me verterem atque reverterem, hoc pejus me habui. Rationi quoque consentaneum videtur, per hoc naturæ operationes, quæ contra morbum omnibus sine dubio viribus pugnant, mirum quantum impediri, id quod sequenti experientiâ facile colligitur: cum aliquid, quod stomacho contrarium est, comedimus, vomitum, ad quem tunc incitatur, facile avertimus, si aliam corporis posituram, ac antea habuimus, formaverimus, id est, si, ubi antea steterimus erecti, subito confederimus: si verò in eâ sessione aliquantulum quieti commoraverimus, denuo vomitum inevitabimus: si rursus erigamur, iterum impediemus, & ita porrò: aut si cubuerimus, itidem crebrâ volutione impediri sentiemus; adeò ut per aliquot horas medicamenti purgantis operationes hâc ratione ipse sim remoratus. Ex quibus apparet, quam ægrotis nocumento sit ex impatientiâ nolle vel per quartam horæ sedatos in lecto se continere. Quia verò diurnâ ejusmodi pausâ lectus nimium comprimitur, eoque magna decumbenti molestia dolorque creatur, consuetum tunc fuerit ægroto prospicere de lectis paulò mollioribus, aut si fortè in alterum latus devolvendus sit, ut lentè id fiat eodemque semper situ, id est, si pedibus extensis cubuerit,volvendo pedes extensos retineat, &c. maximè si certo situ corporis constitutus aliquam molestiarum laxationem animadverterit, in eo potissimum permaneat. Hoc igitur primum esto quod observetur.

Porrò, quamvis Naturam (quæ omnes tunc vires suas ad morbum debellandum impendit) in operationibus suis nullo modo impedire non levis res momenti fuerit; attamen & insuper succurrendum ipsi est. Cumque in præcedentibus morbum ex eo provenire dixerimus, quòd externarum (ad naturam nostram non pertinentium) rerum vires corporis nostri viribus fortiores sint, easque suppressere conentur; magnum tunc auxilium præstari videtur, si calori interno seu nativo, ubi per seipsum sit insufficiens rebusque externis succumbere teneatur,



atur, opem feramus, collocando decumbentem non solum in calefacto aliquo hypocausto; sed etiam omnia ejus membra molli & calido lecto bene contegendo & focillando. Hic maximi iterum, ut plurimum, errores committuntur, ut, si decumbens calorem agrius sufferre inceperit, levato protinus operimento totus detectus jaceat, melioraque momentibus plerumque regerat: in calefacto se hypocausto jam morari. At meminisse oportet non parum discriminis inter teporem hypocausti calefacti, & calorem lecti in eo positi, beneque cooperti consistere; & praesertim subitas tum temporis mutationes (juxta regulam quartam) sedulo esse vitandas, cum resultans inde damnum, quod per debilitates, tumores sive flatus, variam in corpore pressionem, aut, si exitum invenerint, eruptionem inducentes, oppido se prodit, attendenti liquido pateat, prout praecocium mutationum effectus & damna citius tunc, quam cum valemus, in nobis experimur. Nec ulteriore hic explicatione opus esse video, & maximopere exoptandum foret, ut eadem facilitate id observetur, qua intelligitur. Haec tunc secundum.

Tandem hic hujusmodi praestitum naturae auxilium, ut ut satis notabile, multum tamen abest, ut sufficiens sit: cum insuper internus calor adeo sit certis temporibus augendus, ut quaecunque suis in corpore nostro operationibus restiterint, easque impedierint, a se repellere possit. Bene igitur notandum, quaecunque ad corporis conservationem assumimus, ejus nutritioni vel inservire, vel non: si inservit, id fieri quantitate aut insufficienti, quod plurimum nutrimentorum assumptione corrigi potest: aut justam & sufficienti, quod nullum tunc inferre damnum corpori potest: aut denique majori quam corpus sufferre queat, quod magnum sane nocumentum adferre potest, pro eo, quod supra dictum est, plerumque generari inde in infantibus epilepsiam, in provecioribus febrem communem; in senibus vero apoplexiam. Si autem non inservit corporis nutritioni, a natura tunc vel expellitur,  
vel

vel non. Si prius, ut secessu, vel urinâ, exhalatione per poros, &c. nocere non posse clarum est: si posterius, seu si non expellitur, interim autem nutritioni nil confert, multorum causa morborum existere potest pro diversitate aut rerum, è quibus consistit, aut modorum, quibus diuturnitate temporis in diversis corporis partibus pedetentim coacervatur. Ex paucis hisce extrâ omne dubium positum videtur, generalem & primam omnium membrorum à nutrimento provenientium causam, ideoque genuinam eorum originem ex eo tantum scaturire, quod vel nutritioni inservientium major justò quantitas sit, vel nutritioni non inservientium nimia itidem coacervatio fiat; propterea non generalius nec proinde utilius omnibus ejusmodi morbis comminisci remedium posse, quam quod omnia corpori nostro superflua, & ob id ejus functiones impugnantia & impediencia propulsare doceat. Id verò neque purgationibus, neque venæsectionibus, neque aliis ejusmodi evacuationibus perfectè obtinetur. Omnes enim tales evacuationes non nisi particulares sunt, id est, certas tantum res expellunt, non omnes uniformi modo totius corporis superfluitates, prout multis postea exemplis ulterius expositurus sum. Quia ergo per validam caloris interni augmentationem omnes superfluitates sudore ita excernuntur, ut omnia totius corporis membra simul uniformique modo afficiantur, nec aliud nobis hæctenus innotuerit remedium, quod talia præstare tantâ perfectione valeat, concludendum est, nullum melius & universalius nobis esse contra omnes à rebus usitatis procedentes morbos remedium, ac propterea, quæ in hac regula proposuimus, media morbis adhibenda omnium esse maximè salutaria. Hæc itaque ad ea, quæ in medium allata sunt, defendenda sufficere quidem possent: attamen firmiter mihi persuadeo, quod, si vel maximè mathematicæ demonstrationes in ejusmodi rebus formatae fuerint, multum tamen absit, ut ad præjudicia, quæ apud omnes ferme tam altas egerunt radices, extirpanda suffecturæ sint: quocirca isthæc omnia, quæ

quæ jam nudis probare rationibus allaboro, etiam per experientiam corroboranda duxi. Primò nihil notius est, quam innumeras naturam superfluitates per urinam, sedes &c. ut supra dictum, à se propellere: ex quibus liquidò nobis patet, quam natura sit valida in iis, quæ sibi necessaria non fuerint, propulsandis: quin à primis quoque annis morbillis seu variolis, bois & pustulis, scabie, aliisque ejusmodi morbis ubique ferè locorum homines ferè corripuntur, quia videlicet natura, quo tempore ejus calor suo adhuc vigore præditus est, omnia, quæ ut superflua hoc pacto coagmentantur, ejicit, nec aliquid hisce morbis (si tamen morbi dicendi sunt, non autem naturæ potius emendationes) periculosi subest, dummodo sufficienti calore decumbens foveatur, aliàs velut in variolis usu venit, si refrigerium quærat, ut retrò cedendo interiora petant, de reconvalescentiâ vix sperare licebit. Adeò ipsa nobis natura ad oculum quasi demonstrat, quid crescentibus annis, cum calor internus hisce per se ipsum præstandis non amplius sufficit, nobis faciendum sit; quia autem nihil horum fit, adhæc superfluitatum copia magis indies augetur, omnes tunc corporis quoque operationes magis magisque impediuntur, adeò ut quantò plus senescimus, tantò res succedat segnius, sicque internus calor pedetentim debilior in iis, quæ sibi contraria fuerint, superandis evadit, quibus eventibus innumera postmodum morborum genera, ipsaque tandem mors succedit. Id ipsum multæ principum aulæ visibili probant experientiâ, in quibus tanta vini copia epotatur: plerosque enim Aulicorum arthritide laborare videmus, malè pedatos incedere, contractionibus affici digitorum, quos tuberculis consitos flectere ad libitum nequeant, de quibus vulgatum illud habetur: *tollere nodosam, &c.* nec mirum quidem: magnam enim vina tartari quantitatem alunt, qui multis eorum artubus sensim se insinuans coacervatur. Ubi contra rusticolæ, iique, qui indefessis laboribus strenuè exercentur, quia crebris suis sudoribus omnes corporis inutiles abundantias

g

eva-

evacuandi occasionem habent, rarò podagrâ, rariusque quam alii, qui laboribus parcunt, victuque lautiore utuntur, ægrescunt. Viditabellarios, qui, ut ut octogenarii, satis tamen, facili membrorum agilitate cursu suo defungebantur, quod continuato motu calor internus omnia sibi contraria pedetentim à se arcet: sic proprii nos docent oculi, quanta tartari copia dentibus quorundam, qui eorum munditiem negligunt, adhæreat; adeò ut inde non magna tantum oris deformitas, sed odontalgia etiam aliique perniciosi resultent effectus, à quibus ii, qui dentium curam habent, immunes reperiuntur. Alii verò tripudio excandefacti, postquam potu frigido præproperum quæsiuissent refrigerium, tantum sibi visum sunt attraxisse morbum, ut vix ullis potuissent medicamentis restitui. Contrà memet id ipsum aliquando commississe recordor, ut primum verò virium debilitatem in me augeri persentiscerem, tripudium concitatori motu continuare perseveravi, quo ipso postea nihil ulterius mali sum expertus, aliosque novi eodem remedio non infeliciori successu usos. Hoc unum ferè satis est ad ostendendum, quatenus calor internus hâc ratione adjutus omnia antecellat medicamenta. Aliquibus etiam in locis equos ex itinere sudantes aquari non dubitant, quos, si statim superquiescere permitterent, utique perituros esse deprehenderent, veluti exempla satis testantur: quia verò postaurationem itinere reassumpto ad vehementem motum incitantur, nullum ipsis malum subsequitur. Luculentissimum sanè exemplum adferam, admodum clarè ostendens, quid valeat internus calor, si contraria sibi superare conanti succurratur. Sæpius in computationibus non parum excedere fui coactus, cum postea noctu lecto, quam potui, profundissimè immersus somnum immobilis caperem; postridie verò à sudore sensim remitterem, & quam lentissimè ad refrigerationem redirem, verè athleticè, & tanquam quasi nihil excessum esset, me valere sensi. Novi quempiam non minus ac alii Aulicorum in potu enormiter excedentem, qui nihilò fecius non

tan-

tantum prosperâ fruebatur valetudine, sed etiam à podagrâ, paralyseos, aliorumque morborum, quibus multi alii aulicorum laborabant, afflictione planè liber erat: id quod mirum mihi haud visum est, ubi omnem corporis abundantiam forti cum sudore quotannis elicere rescivissem, maximè cum observarem, in sudoribus (quos certo collectos modo reservare solebat) postquam recrementa subsederant, tertiam ferme eorum partem in duram, & subalbicantem concrevisse materiam, tartaro vini non absimilem: unde haud obscure colligere potui, quàm præstans sit remedium omnes à se posse superfluitates sudoribus remove, nec usquam poteram imaginari ullo id effici posse alio medicamento, ullâve aliâ evacuatione, purgatione, venæsectione, scarificatione, &c. Cum insuper attendissem, quantum præ aliis hic Vir annorum cumulum attigisset, quantâ membrorum agilitate omnia expediret, quam nullâ incommoditate iter faceret, equo veheretur, aliisque actionibus cæteroqui senio satis molestis vacaret. Quò ipso talis materiæ, quæ post adeò induruit, exsudatæ exemplo apparet, sudationem singulare itidem remedium esse contra materias, quæ in nobis lapidescunt, ad instar calculi renum, &c. ejusmodi enim materiæ sensim & successivè in corpore nostro coacervantur, donec tantum acquirant molis & duritiei, ut maximâ postmodum difficultate dissolvantur; ubi contrà in principio, simul ac vel minimum ejus se exerit indicium, nondumque tanta ejus copia est, multò faciliori negotio calore extraordinario dissipari, strenuèque sudando expelli possit. Quandoquidem aliquos novi, è quibus arenosa aliqua materia, imò jam lapides per urinam secesserunt, qui tamen, postquam sudores aliquamdiu continuârunt instantius, ventre inferiore bene semper focillato, hoc mali per multos post annos non sunt experti. Per hoc sudoris remedium hydropicos melius & securius fuisse curatos, quam educatione aqueorum humorum, per foramina à chirurgis facta, id quod quibusdam acceleravit mortem, oppidò notum est. Quin & firmiter mihi persuasum habeo,

multos, quorum natura ad corporis obesitatem inclinat, ut primum animadvertunt, quod crassescere occipiant, mature tunc hoc remedio, nec forsitan alio quocunque, præcavere posse. Id quod haud inviti crediderint ii, quos experientia docuit, quam incredibilis humoris quantitas sudore per horæ spatium eliciatur, præsertim si accuratius observaverint, vitam sedentariam agentes, & de cætero benè victitantes, plerumque impinguescere, quod aliis, qui multis negotiis occupantur, non ita facilè accidit, cum natura, quæ superflua sunt, hac ratione à se remove se semper possit. Eoque non dubitandum, si naturæ per sudorem subveniretur, multò id fieri facilius posse. Fuerunt non pauci, qui flatibus seu tumoribus, quod, exitum ubique quærentes, meatus, per quos transeundum ipsis erat, admodum extenderent, miserandum in modum excruciatum sunt; à quâ quidem tortura facilè liberari potuissent, si flatibus istis per sudorem aperturam fecissent, aut lecto ad minimum bene cooperti calorem fovissent. Contrà alii hoc remedio usi, à colica aliisque ejusmodi repentinis, & ex hac causâ ut plurimum procedentibus, variis aliis morbis facillimo negotio liberi sunt redditi. Vidi, quos febres diuturnæ moratæ sunt detentos, magnusque medicamentorum numerus frustra habuit, cum primum bonæ diætæ sudoribusque se applicârunt, febrim planè solutos fuisse. Nec sine delectatione singulari hîc notavi, quam sensibilibus continuatis gradatim sudoribus, victuque juxtâ superiorem regulam temperatè sumpto, paroxysmi vires remitterent; quid quod alii omnia aspernati medicamenta, quamvis aliquot jam paroxysmos febriles experti, cum me autore parcius victitarent, & quovis relaxationis die (non verò, quo paroxysmum rediturum sciebant, quia tunc nimium jam recruduerat malum) sudore per horam vacarent, citius, quam ipse speraveram, convaluerunt: nec postea ullos pedum ventrisve tumores, quod aliàs multis accidit, sunt perpeffi; sed singularem ciborum appetitum, notabilesque corporis vires unâ cum consummatâ valetudine, isthac ex curâ reportârunt.

Imò

Imò tandem ii, quos semel tantum febrilis accessus habuit, ubi proximè sequenti die strenuè sudârunt, arbitrato citius evaserunt, nullis aliis subsecutis paroxyfimi indiciis. Quanquam si ullo in morborum genere temperantia ciborum necessaria est, certè in febribus requiritur, quæ unica fuit causâ tantæ quartanarum diurnitatis. Cum enim quartanæ binos relaxationis dies indulgeant, pauci sunt qui, juxtâ regulam decimam, bene huic inservire tempori sciant; ubi contrâ pro certo affirmare possum, præsentē me aliquando continuò fuisse cuiquam febre laboranti quartanâ vehementissimâ, quæ accessum sortiebatur horâ meridianâ duodecimâ: hic verò prudenti in victûs cautelâ, quanquam nullo neque medicamento, neque sudore usus, id effecit, ut biduo elapso horâ secundâ pomeridianâ, post aliud biduum quartâ, tum sextâ, porrò octavâ, & ultimum decimâ paroxyfimus rediens singulis vicibus duarum horarum inducias faciendo hoc ipso planè cessaret. Brevi ergo temporis spatio hic febricitans post senos tantum febriles accessus toleratos planè revaluit: ubi contrâ alii hoc morbi genere afflicti magnum temporis spatium, quicquid medicamentorum in auxilium vocaverint, exigant: nec ambigendum quin, si dictus febricitans ultrâ diætam sudare etiam in animum induxisset, eoque, quem mox illaturus sum, modo, multò citius malo fuerit levatus. Adhuc in memoriâ versari arbitror, quod de apoplexiâ, seu, ut vulgò dici solet, catarrho apoplectico, suprâ in regulâ sextâ monui, & quomodo ab ejus periculo tutos nos reddere possimus. Jam quale auxilium, si contra talia aliquid peccatum fuerit, à jam sæpius dicto remedio expectandum sit, ostendam. Hic rogatum velim Lectorem, bene attendat, an ullo id alio, præter eum, quem jam profero, modo effectum dare liceat. Et primò quidem observavi, effœtæ ætatis homines, tametsi aliquandiu diæticè vixerint, in uno tamen convivio magnis edendi excessibus commissis, illicò malè se habere, præcipuè de capitis dolore conquestos esse, tametsi, inquam, omnia eo, quo fieri posse arbitratus sum modo, fuerint institu-

ta, & in regulâ sextâ dictum sit, alios apoplexiâ fuisse correptos; attamen eorum nihil hic contigit, brevique ad pristinam redire valetudinem, eò quod sine morâ calido intrato lecto obvelatoque capite vehementer, me suadente, sudarent, & postridie modico pascerentur, omni posthabito medicamento; quod nemo miretur: quamvis enim simili in casu magna nutrimenti superfluitas subtiles capitis venulas, ut suprâ dictum, disrumperet & aperire conaretur; nihilominus luce meridianâ clarius est, si remedium tunc suppeteret venulas istas naturali modo distendendi, id est, absque læsione ampliandi, omni malo sic præventum fore. Jam meritò dubitaverim, an remedium tunc uspiam inveniatur, nisi cum natura sudatione bene adstringitur. Æstivis enim temporibus venas nobis calore fervidior magis expandi, & intumescere quam hyeme, vel ipsi oculi nostri testes sunt: ut taceam, in hoc præterea curationis genere sudoribus omnia superflua copiosè expelli, nec nutrimenta, dum aliquantulum abstinetur, ulterius augeri. Porro, quod magis est, etiam disruptis jam venulis, loquelâ cessante, & paralyti tunc membra invadente, reperi, dictâ nihilominus curatione absque ullius alterius rei adminiculo ægros tam perfectè fuisse restitutos, ut solitus aliàs capitis aut brachiorum motus, sive tremor in illis nullus cerneretur, quod nemini incredibile futurum est, cui notum fuerit, quantus eorum sit numerus, quorum caput manusque similis tremor occupat, quod claro indicio est, eorum venulas jam tum dissiliisse, atque hinc læsionem aliquam effectam, valetudinem tamen neque ex sudore, neque ex aliâ causâ recuperasse, quam quod sufficienti calore semper fuerint foti, & quod neque eorum constitutio, ut multa comederent, neque egestas, ut medico uterentur, passa fuerit. Multò itaque id citius & melius absque dubio obtineri posset sudore insigni, eâque instituto ratione, quam in sequentibus indicabo. Si enim solus calor, ut in hoc præsentis exemplo memini, serosum ejusmodi cruorem progressu temporis adeò dissipavit, ut sanitati non ita multum officeret, quid non effici putas posse



posse sudore, utpote cujus ope natura nostra materias, ut supra dictum, tractu temporis lapidescentes à se arcere queat. Sed juvat singulare quippiam revelare iis, qui hâc sudandi curatione sæpius utuntur: quod videlicet illis, qui ad eam multum se assuefecerunt, de consimili malo non adeò sit metuendum, cum quosdam noverim, quorum majores & cognati hoc accidente (unde patet eos huic malo plus aliis fuisse obnoxios) prope modum omnes decesserint, ipsi nihilò secius eo restiterunt immunes, ut maximè ad senium vergentes admodum largiter victitarent, quia scilicet naturam eorum tali curationi assuefecerant. Nec sanæ rationi inconueniens videtur, eos qui venas suas sæpius laxare, velut sudore fit, soliti sunt, istiusmodi facillè non habere quod metuant. Quam horrenda lues sit pestilentia, nemini ignotum est, adeò ut ipsorum medicorum pauci tali se tempore conservare sciant: quam incredibile verò hîc afferri emolumentum sudando possit, multi hoc malum experti testes mihi confirmarunt. Imò ex ore viri alicujus fide digni, qui bubone pestilentiali jam laboraverat, habeo, solo se sudore exquisito sine ullorum medicamentorum adminiculo à tam diro malo liberatum fuisse, quod tali obtinuit modo: dum scilicet sex horis continuis totum lecto involutum se tenuit, humiditas sudoris bubonem reddidit perquam mollem: & quia materiam in eo contentam natura à se propellere aliquantum conata, (hinc enim ortum duxisse credendum est) postea verò jam multò sudore adjuta, externaque cutis mollior magis magisque reddita est, facillè aperturam sortiri, & maligna materia expelli potuit. Ex his quoque adductis rationibus contra luem veneream hoc ipso melius fortasse sperare remedium non posse videtur. Sed ut redeamus ad priora, ne verbis tantum meis fidem hâc in parte habendam esse contendam, videantur Ephemerides eruditorum (Journal des Sçavans) anni 1680. editionis Hollandicæ p. 178. ubi vera alicujus in loco pestilentia tunc famoso versati recensentur ista: *D'autant plus, que l'experience luy avoit fait voir, que de tous les malades, qui avoient sué*

*sue beaucoup, il n'en étoit mort aucun, & qu'au contraire ceux ci, en qui la sueur n'avoit été excitée, ny naturellement ny artificiellement, avoient tous perdu la vie: id est, eo que magis, quod experientia ipsi ostenderat, ex omnibus ægrotis, qui multum sudassent, mortuum fuisse neminem, & contra, illos, in quibus sudor neque naturaliter, neque artificialiter excitatus fuisset, omnes vitam perdidisse. Si itaque nullo alio in exemplo, certè in hoc isthoc tantum clarè lectorem comprehensurum arbitror, quam incredibilia effici sudore possint, & an remedium melius & universalius sperari possit? Tandem eadem pariter viâ lepra perfectè curari posse videtur. Ea enim speciem fere præbet, ac si aliud non esset, quam omnium superfluitatum in corpore re-  
pertarum per proprias naturæ vires expulsio, ut itaque nil hîc requireretur, nisi naturæ in re, quam orsa jam est, succurrere. Hæc igitur, ut hætenus ostensa est, curandi methodus, multò evadit universalior, ex eo quod non solum toti jam corpori, ut huc usque monstratum fuit; sed etiam certis ejus tantum partibus applicari æquali facilitate possit. Celebris alicujus curationis peractæ ipsemet spectator fui, intabescente cuiquam uno pede, qui altero jam notabiliter erat minor. Quia verò aliunde ista tabes oriri non videbatur, quam ab aliquâ materiâ in pede coacervatâ, ejusque nutritionem impediante, ideo ad eam tollendam prudenter ordinavit medicus pedem adipe liquato inunctum, quò lenitudinem induceret, multis devincire linteis: cumque ita per continuum sextiduum aut octiduum calore sufficienti fatus absque involucri revelatione fuerit relictus, miratus sum postea materiæ inde expulsæ copiam. Hîc fateor plus tunc quidem crevisse tabitudinem, at cutis iis etiam in locis, in quibus induruerat, præmollis reddita, & quasi renovata cernebatur, hocque ipso brevi post tempore decumbens planè restitutus fuit. Quod certè non video potuisse ullo medicis aliàs usitato modo obtineri. Contra etiam videre licuit alii, cui pedes admodum intumuerant, eadem ratione perfectè fuisse subventum. Quibusdam certa membra adeò contusa  
fue-*

fuerunt, ut cruore maximè tuberosa redderentur, qui tamen cruor telarum calidiorum applicatione, & circumvolutione brevi dissipatus est. Imò tandem tussi & rauedine, dum nihil frigidi, sed omnia potius calida ex alimentis assumantur, aër frigidus evitetur, aut ad minimum per os respiratione non intronmittatur, collumque linteolis multipliciter nocte dieque involutum continuo calore foveatur, facilè levabimur. Firmiter igitur mihi persuadeo, tam rationibus quam experiètiâ adductus, si ejusmodi apud ægros experimenta dictâ ratione fuerint inita, multa inde perquam salutaria detectum pluribusque subventum iri non tantum infantium, (cum insuper multis illos gravari medicamentis consultum non videatur) sed etiam majoris momenti morbis, quos ullis curare pharmacis aut evacuationibus medici nequeunt, eosque ob id incurabiles in se esse profitentur: præcipuè si in his satis maturè, secundum regulam octavam, provideatur. Cumque hâc ratione omne superfluum continuò & sensim elicitur, id saltem fortasse obtinebitur, ut mobilioribus & agilioribus crescente ætate membris simus futuri, secus ac nunc experimur. Ea enim mihi res magni momenti & probè ponderanda videtur, totius naturæ nostræ in se considerata stabilitatem in hoc uno sitam esse, ut veteribus omnibus continuò sublatis nova per nutritionem semper succedant, quandoquidem totius corporis membra, id est, caro & ossa ex meris consistunt fibris, id est, ex particulis oblongis, quarum uni termino semper aliquid additur, alteri adimitur, aut in quibus hoc fieri non potest, major soliditas & durties inducitur, id quod vel ad oculum patet, dum quâ parte cutis nostra fuerit læsa, brevi per se ipsam sensim consumitur, succrescente aliâ plane novâ: imò in unguibus, ut ut duris, maculæ cernuntur subalbidæ, ultro tantisper pedetentim procedentes, donec progressæ ad oram unâ cum extantiore unguis parte rescentur; adeò ut unguis inde non tantum planè novi formetur, sed etiam verisimile quasi sit, (cum omnia ex ejusmodi fibris, ut dictum est, consistant) totum eo ipso corpus tractu tem-

h

poris

poris quasi renovari, atque hâc ratione pedetentim omnia vetera planè aboleri. Hâc autem omnia per se ipsam natura nostra operatur, nullius alterius nisi solius caloris auxilio adjuta, multosque per hoc ad provectiorem perducit ætatem. Ideoque non dubitandum, quin ad summam perventuri simus senectutem, si satis maturè suppetias hac in parte paulatim & successivè naturæ feramus, id est, nisi per se ipsam suffecerit, ejus calorem augeamus. Quæ omnia hæctenus dicta, si ad exactum rationis examen revocavero, aliam planè sententiam inire non potero ab eâ, quâ firmiter persuadeor, quod, si ulla unquam potuerit detegi medicina, longiorem consuetò nobis vitam promittens, pariter & intellectum, imaginationem, & memoriam nobis firmam conservans, illa demum ab hoc solo remedio derivanda & deducenda sit. Cum enim aliquando per universum octiduum tam vehementer indies sudare constituissem, ut in regulâ sextâ mentionem feci, homo non tantum novus, quod singularem virium corporalium concernit multiplicationem & agilitatem, mihi sum visus, sed quâvis etiam in re ingens mihi cogitationum copia magnâ facilitate succrevit; quod adeò mirum non est, tot videlicet sublatis rebus, operationes nostras plus impediens, quam juvantibus, idque ex omnibus totius corporis membris, idemque tantâ in quantitate.

Jam nullus dubito, quin, si vel maximè frustra fuerim in verâ illâ & ingenti istarum rerum utilitate aliis satis persuadendâ, id saltem obtinuerim, ut ne istiusmodi iis jam nunc tam parum probabilia, tamque incongrua & absurda, sed potius diligenti consideratione digniora apparitura sint, quàm primò intuitu viderentur. Quapropter progredior, ostensurus quo pacto tertia præsentis hujus regulæ pars ad praxin sit transferenda. Initio hîc quidem fortè quæsiverint: quodnam præ aliis adhibendum sit præcipuum remedium, quod sudorem alliciat? Hîc me ipsum hac in re fateor adeò fuisse præoccupatum, ut sudorem convenienter & aptè produci non posse crederem, nisi prius internè aliquid reciperetur: hinc ideo (cum quid de sudori-

feris

feris usitatis sentiam ex regulâ decimâ haud difficulter colligatur) juscula carniû calidiora, aliaque sorbilla antehac assumebam, postea tamen deprehendi quoties sudare præsumpsi, (etiam in multis aliis, qui aliàs nullo se modo adigi ad sudorem, unquam posse conquesti sunt) dummodo totus lecto implicitus bono, atque etiam uno & altero, si unum non suffecerit, superimposito undique circumdatus, & ab omni aëre munitus, nisi solâ facie ad respirandum exceptâ, absque motu supinus cubârim, intra horæ unius spatium, plerumque sudorem se exerere cepisse, quo postmodum situ aliam denuo adhuc horam commorari sudorique satisfacere ut plurimum solitus sum. Hac vero ratione decumbenti singulis diebus procedendum sentio, maximè autem quo tempore affectus non fuerit adeò vehemens, sicque tantisper continuandum esse, dum morbi qualitas ægrotique vires id tulerint. Quod si verò quorundam pori ad eò fuerint obstructi, ut per horam lectis prædicto modo licet involuti frustra tamen sudorem expectaverint, cessari quidem tunc à sudandi conatu potest, hoc verò non obstante nihilominus singulis porrò diebus idem processus tentandus est: haud enim est ambigendum, quin calore tantopere & toties alio pori intra aliquot dierum spatium se tandem sint aperturi, nec renuo, quò minus, si visum fuerit, jusculum aliquod calidum sorbeatur, sed singillatim hic notandum moneo, ut omnia ista fiant in loco calefacto, aut saltem ab omni aëre externo optimè munito. Quibus omnibus licet ritè ita institutis, attamen post duas horas, eâ ratione, ut modò dixi, sudando emensas, quam potest fieri lentissimè à sudore cessandum, & dimidium quasi horæ spatium consumendum est, priusquam lectus planè relinquatur juxta regulam quartam. Calor enim hypocausti, collatus ad calorem in corpore nostro tunc existentem, instar frigoris se habet, ad quod communiter non attenditur, nimisque præcipitanter è lecto à sudatione prodeundo omnium virium debilitas postea persentitur; ubi contrà accuratissimè hæc exequendo observavi contrarium prorsus evenire. Dolendum ta-

men est, omnes ferè homines communiter talia ægerrimè, & non nisi magnâ cum animi aversione & fastidio suscipere. Quandoquidem ipsi medici mihi facti sunt, licet sudorifera aliis medicamentis præstantiora experti fuissent, coactos se tamen fuisse ea adhibere quàm parcissimè, eò quod ægrotos viderent suos abrogasse medicos, non aliâ de causâ, quam quod eos ad sudorem nimis incitaverint. Hic autem error ex eo ut plurimum procedit, quia pauci ad id se assuefecerunt, postquam igitur initio hoc ipsis molestum aliquomodo fuit visum, perpetuò sic fore credunt, id quod falsissimum est. Pori enim tractu temporis magis magisque aperiuntur, adeò ut nullâ post incommoditate hoc effectum dari possit. Equidem interdum dum vale rem, ultra tres horas sudorem plenum continuare non dubitavi, ut, quamdiu id mea possit ferre natura, periculum facerem, nullumque inde incommodum, quin potius me ipsum tantâ intrinsicè valetudine gaudentem, quantâ unquam, sensi: quam sensibile verò incolumitatis incrementum ex eò perceperim, alios expertos esse malle. Hi procul dubio non tantâ isthæc aversione susciperent, omnibusque reliquis evacuationibus, quæ & ipsæ non sine incommoditate (veluti quidam purgationibus vehementer cruciantur) fiunt, præferrent; præcipuè, cum juxtâ istam curandi methodum nullis opus sit sudoriferis, aliisve medicamentis, quæ maximâ sæpe nausæâ, summoque assumuntur fastidio; utilitas verò ex omnium membrorum vigore & agilitate, nec non singulari ciborum appetitu tam sensibiliter tantâque celeritate innotescat, ut valde dubitem, an auxilium ullis medicamentis tam optatò impetrari possit. Porrò, circa medicamenta non levis animum cura angit, an justè à pharmacopœis sint præparata, an medicus dosin ad naturæ nostræ habitudinem ordinaverit, an nimio eorum usu fortè excedamus: hæc enim omnia facilè possunt evenire, non absque singulari vitæ nostræ discrimine, cum ex adverso ea, quorum hæctenus facta est mentio, animum nullâ ex parte habeant anxium. Quin imò, si vel maximè in excernendo sudore modum excedere

con-

contigerit, non ideo aliud sequetur (veluti sedulâ sapius disquisitione exploravi) nisi ciborum appetentiæ sitisque augmentatio, cui quidem malo (si tamen malum dicendum est) bonis subveniri alimentis facile potest. Tandem, licet medicamenta adhibita medicorum in se spectata apprimè quoque bona seu fructuosa essent, adeò tamen nostra natura iis assuescit, ut, qui nimium iis utuntur, haud absimiles mihi videantur illis, qui conspicillis se applicant. Postquam enim ad ea semel oculos assuesecerunt, eorum adminiculo postea continuè opus habent, adeo ut iis destituti vix legere quicquam possint, quod inconueniens in sudationibus non reperi, cum eos interdum per uniuersum triennium aut quadriennium intermittere oportuerit, nullo inde accidente subsecuto; contra verò sanguinei, postquam aliquoties sanguinem miserunt, nisi quotannis id ad minimum continuauerint, gravibus sint morbis obnoxii, quorum multa succurrunt exempla. Sapius cum celeberrimis & expertissimis medicis de medicamentorum, quæ præscribere solent, ratione disserui, qui eorum incertitudinem ingenuo candore mihi fassi sunt, attamen & hoc addiderunt, se nisi de manifestâ eorum ope, saltem de indemnitate securos esse: id ipsum verò de remediis jam propositis asseverare longè majori certitudine ausim, ea nimirum omnium, quæ nobis suppetunt, tutissima, & nisi omnimodè profutura, ad minimum nullo modo obfutura esse. Addere possem ea ubique passim obvia esse, non tantas requirere impensas, nec denique alia fortè occurrere, de quibus demonstrari tantâ probabilitate possit, quod eorum, quæ quidem hactenus innotuerunt, optima sint, & consequenter, si horum ope ægroti salus non obtineri deprehensum fuerit, certò firmiterque judicare liceat, ullâ humanâ industriâ, ulloque alio hactenus nobis cognito modo non facilius eam fuisse sperandam.

## REGVLA DVODECIMA.

*Quamvis pristini jam redire vigores inceperint, morboque liberatos nos esse reapse persenserimus, domi tamen per biduum adhuc*

b 3

vel

*vel triduum nos continendos, publicisque conventibus tantisper nobis abstinendum esse, donec de plenâ salutis restitutione planè tuti reddamur. Tunc igitur consueta nostra negotia non nimis vehementer adeunda esse: quod si verò contrà morbus incruduerit, eoque res processerit, ut decumbens spiritu deficere videatur, non ideo pro jam mortuo habendum esse, maximè, si dolores, quos perpeffus est, excessivi fuerint, aut non adeò dudum sit, quod ægrotavit, &c. vel si compertum fuerit, membra, ut plerumque fit, nondum obriguiffe, calore aliquamdiu refocillando tentandum esse, an spes ulla meliorationis affulgeat.*

## P R O B A T I O.

**R**atio ejus, quod in primâ hujus regulæ parte dicitur, per quartam patet, abundanter etiam aliàs notum est, recidivos à subitâ mutatione ortos morbos maximè noxios esse; adeò ut perfectæ reconvalescentiæ jam proximi, vel hoc solo vitam sibi postmodum abbreviârint. Si igitur duorum triumve dierum spatio ab omni opere abstinemus, tempus ideo non inutiliter perdimus, sed potius lucratur: ad posteriorem partem, quod attinet, ægrotos non illico pro mortuis accipiendos esse, quod animam ipsis deficere videamus, satis docent exempla frigore gelatorum, suspensorum, aquâ submersorum, &c. ex quibus apparet, quam incredibili diuturnitate respiratio cessare possit: postquam enim ipsis debito modo subventum est, perfectè spiritus recolligere comperti sunt: quid quod in sepultis etiam post sepulchrorum suorum adaperitionem clarissima recuperatorum sub terrâ halituum indicia se manifestarunt. Hinc gravissimè hallucinatur, qui simul ac aliquos viderint respirare desiisse, continuò eos è lecto calido extractos, ad eorum artus decenter & ordine componendos (qui post ob nimium rigorem ægrè flecti ad placitum possunt) frigori exponunt. Nec enim veritati consentaneum videtur, tam ob exempla jam allata, quam ob rationes in regulâ commemoratas, posse tunc forsitan quibusdam amissos remeare spiritus, si in conclavi calido, per biduum, plurimumve per triduum fuerint reservati. Multò etiam



etiam probabilius id videtur in parturientibus. Sæpius enim nullum in earum sectione postmodum pravæ constitutionis signum se exeruit, nec aliud fuisse suspicandum est, quam ex nimis doloribus perpeffis, ut ipsis etiam prosperâ valetudine fru-entibus evenit, vehemens animi deliquium. Et quia justò cautius similibus in casibus procedi non potest, ut ut sæpe frustratus quis fuerit tentando, sat multum tamen hoc ipso fuisset obtentum, si eorum pauci saltem per hoc fuerint conservati, cum insuper non tam difficilis executionis res sit, fovere quempiam ægrotum per biduum aut triduum.

## APPENDIX.

**H**isce omnia ad finem perducta erunt, quæ ad valetudinem humanam contra communiora symptomata, modo perquam securo, conservandam pertinent. Ad rara & insolita symptomata quod attinet, quæ non ex victu, quem capimus, originem sortiuntur, quædam singularia hic afferre possem. Cum verò penuria temporis hætenus non fuerit passa tales inire experientias, quales ad certum quid inde concludendum maximè necessarias esse scio, generalem saltem hic felici successu procedendi modum ostendam, & nonnullis exemplis confirmabo.

*Primò necesse est, ut Anatomie probè addiscenda, iisque, quæ in eâ adhuc latent, accuratè explorandis operam demus.*

Quantum laudabilis recentiorum industria hoc in studio omnia retrò secula superaverit, notum; at multa etiam adhuc latere certum est. Id ipsum verò in symptomatibus, de quibus jam sermo est, ad quid specialiter proficit, ex hoc patet: quod licet ægrotus conquerens, quâ parte corporis doleat, innuat, in quo tamen sita sit ratio morbi, medicus, ut ut satis expertus, assequi non statim poterit, cum ægrotus sedem doloris ab extrâ tantum indicare queat, quâ parte intrinsecus diversa sunt viscera, variisque modis symptoma evenire potest, prout experientia sæpissimè comprobavit, quod sectione post institutâ planè diversum ab eo, quod ferè omnes judicaverant, fuerit observatum. In accidentibus verò extrinsecus advenientibus, cum locus affe-ctus,

ctûs, modusque quo fuit læsus, necessariò nobis notior sit, habitâ anatomix exactiori cognitione, sanæque rationis adhibito dictamine, ex his duobus notis, quomodo auxilium sit præstandum, multò (quam ubi utrumque quasi incognitum fuerit) consilium comminisci poterit facilius.

*Secundò necesse erit, ut ex membri læsi naturâ modoque quo læsum fuerit videamus, num possibile sit absque ullo medicamento curationem aggredi.*

Hæc per exempla declarabo: si quispiam contusione, scissione, cæsione, percussione, &c. læsus fuerit, haud difficulter adjuvabitur hoc procedendi modo: *Primò*, externa quævis, à quibus læsio ista processit, si præsentia adhuc fuerint, aut manuum, aut convenientium ad id instrumentorum ope removenda. *Secundò*, omnia in pristinum situm quantò ocyus remittenda sunt. Id quantum profit, patet, dum quibusdam nasum semiresectum per appressionem, ubi satis maturè tentata fuit, conservatum fuisse constat. Hinc in scissionibus nullâ opus est aperturâ ad magnitudinem vulneris indagandam sanguinemque exprimendum, sed ipso momento omnia dissecta eò quo prius fuerant modo recondenda sunt. Attamen nihil tunc magis noxium est, quam ulteriorem insuper separationem fieri, quod sæpius chirurgis præter ullam necessitatem usitatum est, præcipuè cum vulnerum sanationem turundarum immisione sæpius remorantur. *Tertiò*, membrum affectum non multum esse movendum, neque contrectandum: per ejusmodi enim motionem nova subinde vulneris apertura renascitur, & credi vix potest, quam diu interdum vilissima quæque læsio (ut si quâ parte cutis saltem fuerit avulsa) crebrâ contrectatione, attritu, pressione, &c. sanationis moram patiocogatur, adeò ut leviusculum quippiam malum in deterrimum excrescere nocumentum possit. *Quartò*, locum affectum probè esse muniendum ad sanguinem sistendum, ut ab omni aëre, exteriorique impuritate arceatur, & absque ullâ aperturâ usque ad plenæ sanationis terminationem relinquendum. Quantum de-

trimen-

trimenti afferat frequens ejusmodi apertura, præcipuè vesperi & manè renovatis emplastris, experietur is, qui antè dicta probè observaverit, & talibus in casibus omnia, quo à principio condita erant modo ad finem usque, dum suâ sponte decidant, integra reliquerit. Non ignari hujus rei aliquibus in locis ipsi rustici, quâcunque læsi fuerint corporis parte, liquatæ picis calidæ quantitatem superfundunt, (quod ipsorum quidem indurata pellis qualitercunque sustinere valet) eamque ita coagulatam loco haud movent, quousque ipsa recens succreta cutis eam divellat, sicque sine ullius alius medii ope curantur. Ubi contrà in multis læsionibus aër exterior, impuritasve admittatur, sæpius gangræna aliave diuturna succedunt mala. *Quintò*, calor sustentandus est, quia sanguinem coalitum faciliè dissipat, sanationem mirum quantum promovet. Modus medendi jam dictus, quam subitaneum præstet in vulnerationibus maximè considerabilibus absque ullâ unguentorum applicatione, admirandus animadvertet, cui periculum facere fuerit constitutum. Quoties verò contra id, quod dictum est, peccatur, vilissimum expertus sum malum, ad tempus usque incredibile protractum esse, maximo subjecti patientis dolore, tantum in malum excrevisse, ut digitorum, brachiorum, pedum, &c. resectione opus fuerit. Imò quosdam ex solâ verrucarum unguiumve pedum amputatione meminisse mortem sibi per negligentem hujusmodi curam conscivisse, quod horum inexpertis incredibile videbitur.

Porro, aliud adhuc ad meliorem hujus regulæ explicationem exemplum adducam, quò nimirum pactò ophthalmiæ facili negotio mederi possit in iis, quorum oculi nimio exercentur usu. Notandum ergò, quia oculi ad eorum motum faciliorem reddendum certam habent humiditatem, tanta ejus copia, dum vel ad studia, vel ad alios labores nimium applicantur, quandoque promanat, ut acredine rubescant, gravibusque afficiantur doloribus: porro, talis humiditas cum lachrymis unum idemque esse videtur, quas celeberrimus anatomicus Steno ex superioribus palpebris, per certos se demittere ductûs, ostendit: imprimis enim eodem cum lacrymis falso sapore prædita est, cum ejus acredine eandem oculis rubedinem,

& superioribus denique palpebris tumorem, ut iis accidere solet, qui multum lacrymantur, inducit. Ex his igitur facile perspexi, quare, cum oculos, & præcipuè superiores palpebras, frigidâ tunc crebrò abluimus aquâ, aut si ita videatur, in eâ Sacchari Saturni, aut Vitrioli Cyprici nonnihil dissolvimus, notabile id nobis levamen afferat. Omnia quippe refrigerantia, aut poros constringentia efficiunt, ut pori meatuum, quos ejusmodi humor penetrat, arctiores reddantur, atque ita humor minori copiâ promanet, & dum frequenter abluitur, non adeo possit oculos amplius arrodere, ideoque rubor remittere incipiat: quanquam maturius id contemplatus cognovi, omissis his omnibus & similibus externis remediis, multò mederi posse huic malo convenientius, ut oculis, tametsi continuo usu valde adstringantur, ejusmodi incommoditas facile non sit metuenda, idque in hoc consistit; quia humor iste apud illos, qui oculos crebrâ exercitatione fatigant, majori quam apud alios quantitate affluere assuescit, non est quod aliud agamus, quam, simul ac oculorum vel minimum dolorem incipere persenserimus, (non verò postquam jam tum irrubuerunt) studiis, lectioni librorum, scriptioni aliisque exercitiis majori, quam antea, assiduitate incumbere, quo ipso fiet, ut superfluous oculorum humor frequentiori usu subito consumptus nocere non possit, dolorque oppidò cesset: quâ in re experientiâ ita confirmatus sum, ut, qui aliàs non paucis inde incommodis obnoxius fui, multis jam annis, licet oculis multò jam quam ante plus usus fuerim, id unum observans nihil mihi molestiæ ulterius fuerit sufferendum. Nec amplius miror, quod oculorum usus, licet frequens ferme, nihil jam mali mihi inferat, ut primum verò aliquamdiu laborem intermitto, illico oculi malè habere incipiant. Ex quibus etiam apparet, quam noxium sit ab omni prorsus studio aliove consueto labore, simul ac à multâ oculorum exercitatione, malum illis ingruere sentiatur, cessare, in loca obscuriora se recipere, & id genus alia. Et forsitan hoc unice in causâ fuit, quod in Analyticâ Mathematicâ recentiorum (quod studium industrios præcipuè oculos requirit) versatissimus Dominus de Beaune eorum usu planè fuit privatus. Si verò tandem hac ratione res succedat, hoc

hoc est, eo non obstante humor illè nocivus pergat magnâ quantitate affluere, non dubitem, quin hic bene sudando, penitus possit tolli, quanquam si priora observaverim, eo remedio hæcenus uti, nullo modo coactus fuerim.


*Tertiò, si cognoscatur absque externorum medicamentorum applicatione nihil obtineri posse, ea quidem adhibenda; at talia, quæ rationi valde consentanea esse videantur, aut si talia quæpiam excogitari facile non possint; saltem ea, quæ evidens & sensibile (non obscurum, non quod tardius advertitur) auxilium ferant, quæ simplicissima (non ex multis ingredientibus composita) sint: & postquam horum semel quid electum fuerit, huic unice ad perfectæ curæ terminum usque stetur, (non hoc cum alio commutetur per vices alternando, prout communiter inconstantissimè hac in re, & ex rationibus interdum ficulneis proceditur) nisi sana fortè ratio aliud quippiam clarè docuerit.*

Compertum sic erit, si in aliquo corporis membro magna inflammatio orta fuerit, vel ex ustione, vel ex vehementi externâ compressione &c. per adipis saltem applicationem (cujuscunq; demum generis sit, sive canini, sive leporini &c. dummodo bene fluidus) notabilem dolorum mitigationem procurari, sique ab omnibus externis bene munita conservetur, brevi omnia salva fore. Propterea probè notandum, quod, licet, observatis (ut in secundo loco jam dictum) quinque illis requisitis, maxima sæpe mala facillimo negotio curentur, repererim tamen, curationem citius & melius expeditam dari, si locus afflictus linteo pinguedine calefactâ macerato bene contegatur, cæterò quin, si postmodum tenacius adhæserit, ita quidem, prout superimpositum est, immotum relinquatur; (nec quotidie detractum, ut Chirurghi vulgares emplastra sua solent, removeatur, & cum novo aliquo commutetur) attamen recenti, ejusdem pinguedine calidâ, indies perfusum rigetur. Porro si, quæ membra admodum calefacta fuerint, repentino frigore afficiantur, tubera inde prorubra & fervescentia (quæ ex aliis quoque multis possunt causis oriri) generantur, successivè magis magisque crescentia, vehementesque excitantia dolores: quod nemo miretur. Tunc enim natura, quod operationibus suis impedimento est, conatur expellere, idque per solidam, ut fas est, pellis substantiam: priusquam verò id effectum detur, pellis utique per malignam isthanc materiam satis corrodatur oportet, quod absque magno dolore & fervore fieri sanè non potest: quapropter Chirurghi, ut materia hæc liberiores sortiatur egressum, promptissimi sunt ad disseccandas partes inflammatas, & ad turundas ingerendas, ne scissura, dum naturæ aliquid materiæ malignioris expellendæ superest, concreascit, quæ certè acerbissima & cruciaria cura est. Contrà in diversis ejusmodi casibus notavi, si simplicissima quoque applicentur, (cujuscunque tandem generis fuerint) dummodo sub for-

mâ sit massæ cujusdam densioris & humidioris, præsertim verò satis calidæ: cum primum verò induruisse compertum fuerit, rursus ejusdem massæ satisque calefactæ, quantum opus sit, superimponatur, loco afflicto, in sufficienti aliàs calore conservato; hinc, inquam, notavi, naturam non tantum fat cito, & sine singulari dolore suâ sponte aperturam sibi procurare; (quia hoc ipso pellis extrinsecus satis emollescit) sed etiam continuato hoc processu ultraegressæ totius materiæ tempus, tam feliciter omnia consanescere, ut quâ parte materia aperturam sit naçta, dignosci vix queat. Tandem si quis hominum viperâ, aspide, aut aliâ quapiam bestiâ venenatâ ictus fuerit usque ad intumescentiam subinde incrementem, multi tum oleo utuntur, in quo scorpii, scarabæi nigri, aliaque ejusmodi insecta venenata suffocata sunt. Equidem in tali aliquando tumore, manum prius, mox brachium quoque occupante, atque ita quotidie ulterius progresso, vehementem etiam calorem excitante reperi, simul ac simplici tantum & communi olivarum oleo (quod nullus planè scorpius intraverat) tumor hic ungeretur, haud aliter, ac si frigidissimam superfudisses aquam ægrotum affectum fuisse, calorem sensibilter remisisse, tumoremque indies decrevisse: in multis itidem aliis subjectis eundem effectum secutum esse observavi. Quin imò si pinguedines ad minimum bene fluidæ, quæ, ut applicantur, illico perfrigidæ videantur, fuerint adhibitæ, tam fervido crescenti tumori mox quoque arceretur.

Id igitur demum est, quod cum ingeniis veritatem amantibus & inquirentibus impræsentiarum communicare volui: ubi præcipuus intentionis meæ scopus fuit, ut iis prospiciam, qui scenæ, ut dicitur, servire tenentur, & quibus de rebus suis disponere vix quicquam ex sententiâ licet. Quæ enim regulæ à multis præscriptæ fuerunt illis, qui omnia ad proprium gerere nutum possunt, eæ, meâ quidem sententiâ, inventu fat faciles fuerint: cum verò exiguus horum in mundo sit numerus, parum utilitatis habent. Contrà verò ubi aliis, quibus admodum inordinatè vivendum est, ponendæ veniunt regulæ, quæ notabilem valetudini opem præstent, longè diversæ requiruntur meditationes. Et quia istorum infinitus reperitur numerus, longè ideo majoris quam priores utilitatis sunt. Quanquam, ut à principio mox dixi, ingenuè fateor, non omnia (in materiâ adhuc tam obscurâ maximeque difficili) modo irrefutabili demonstrata esse; haud tamen diffido, quin veritati tam sint analogæ, ut multi aliis rebus, licet valde consuetis, nullo tamen nixi fundamento, longè sint præferenda. Veruntamen heic loci non acquiescendum arbitraris; sed hæc nobis tantisper modò inserviant, quoad præclara ingenia, quorum præsens hoc seculum fertilissimum est, horum veritatem perfectè detexerint, id quod animitus exopto, eique tunc, ut maximè assertis hisce meis planè adversaretur, me ipsum lubens submittere non recusabo.

F I N I S.








Fb 490


3

1000A

41







# DICINA PORIS,

SEV  
NES ADMODVM  
OBABILES

DE  
NDA SANITATE.



PSIÆ,  
HOMAM FRITSCH.  
M DC XCV.

